Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

De Apollonii Rhodii et Valerii Flacci Argonauticis

https://hdl.handle.net/1874/237727

M. N. J. MOLTZER

DE APOLLONII RHODII ET VALERII FLACCI ARGONAUTICIS

Alt. 2

A qu.
192

DE APOLLONII RHODII ET VALERII FLACCI ARGONAUTICIS.

Litt. 10 Juli 1891

A 4° 192

DE APOLLONII RHODII ET VALERII FLACCI ARGONAUTICIS.

DISSERTATIO LITTERARIA

QUAM

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

IOHANNIS HENRICI GALLÉE

Phil. Theor. Mag. Litt. Hum. Doct. in Fac. Litter. Prof.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

NOBILISSIMAE FACULTATIS

PHILOSOPHIAE ET LITTERARUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN

LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

FACULTATIS EXAMINI PROPONET

MARIUS NICOLAUS JACOBUS MOLTZER

AMSTELODAMENSIS.

D. X. M. Julii A. MDCCCXCI, Hora I.

TRAIECTI AD RHENUM,

APUD C. H. E. BREIJER

MDCCCXCI.

UNIVERSITEITS BIBLIOTHEEK UTRECHT

Gedrukt ter Zuid-Holl. Boek- en Handelsdrukkerij.

PATRI CARISSIMO

IN SORORIS MATRISQUE OPTIMAE PIAM MEMORIAM.

Iam satis diu radiis et luce nostri Solis Iustitiae fructus sum: alio me fata vocant. Partim laetus et lubens valedico Almae Matri, partim dolore nec sine grata recordatione temporis praeteriti, quo egregiis lectionibus praeceptorum instrui mihi licuit nec minus consuetudine sodalium uti.

Abiturus autem imprimis tibi gratias ago, carissime Francken, cuius opem, ut nuper expertus sum in his primitiis componendis, ita per totum curriculum omnis vitae Academicae semper paratam habui.

Persuasum tibi habeto me semper operam esse daturum ut tua humanitate et doctrina apud iuniores, quam maxime potero, dignum me praestem.

Vobis viris clarissimis Opzoomer, van Herwerden, Wijnne et van der Wijck gratias quam maximas ago pro egregia institutione, qua longos per annos horis utilissimis et gratissimis studia humaniora me docuistis.

Tuas quoque, amicissime Morell, grato animo lectiones semper recordabor, quibus arti Atheniensis civitatis et Graeciae gentis maximum studium navare me adhortatus es.

Nec minus in animo est vos silentio praeterire praeceptores praeclari gymnasii Groningiani: in discendo et docendo vestrae voces in auribus meis resonare solitae per totam vitam egregiam vestram disciplinam in memoriam revocabunt.

Valete, amici, doleo quod munera nostra in diversas patriae partes nos dimittunt sed manet amicitia tempore nec spatio interitura.

Omnia memorare, quae tibi debeo, carissime pater, quem dirissimo fato solum domi tuae relictum videbo, hoc loco alienum esse existimo. In omnibus, quae ad studia mea, ad docendi rationem, ad mentem indolemque pertinent, tuum exemplum mihi ante oculos versabitur.

Apollonii et Valerii Flacci Argonautica. Exordium.

Si Graecus homo Alexandrina disciplina imbutus Museo bibliothecae praeessem, opus maximi momenti et grati laboris rerer Apollonii Rhodii et Valerii Flacci Argonautica comparare inter se eo modo ut tantum res ipsas, nomina et heroum et locorum, omnia denique quae ad mythologiam et geographiam pertinerent, conferrem, idem omissa aliqua adicerem, quaeque minus recta essent, emendarem. Quia autem animus abhorret doctrinam Alexandrinam iactare, cuius me quoque ipsum aeque imperitum esse confiteor ac prope omnes, qui tempore meo vivunt, non tantum de rebus et nominibus ipsis agere velim quam qua ratione usus uterque poeta munere sit functus. Ut ii, qui agriculturae student, diversas terras non easdem fruges gignere sed arvorum diversitatem causam esse ut frugum multa genera exsistant, sic litterarum studio operam navantes intellexerunt tempora ipsa et omnia, quae aequales mente versent, poetarum inventa gignere eosque cogere ut canant ea, quae civibus ipsis grata sint et ab iis intelligi possint 1). Igitur et rationes ipsas utriusque poetae per comparationem explicare mihi in animo est et demonstrare quo modo carmina exstiterint et quae temporibus tribuamus necesse sit. Quibus bene perspectis sententiam proferam, uter poeta me iudice, melius

1) Cf Taine. Philosophie de l'Art. 1 : 58, 59.

rem suam egerit. Sed antequam carmina ipsa epica pertractem, de fabula Argonautica nonnulla breviter in memoriam revocare non inutile opus esse reor.

Apollonius Rhodius et Valerius Flaccus, qui eum imitatus est, fabulam de Argonautarum itinere uterque epico more narravit. Temporibus, quae aetatem historicam praecedebant, Graeci fuerunt qui poesin epicam, qua prima usi sunt, brevi tam elegantem et perfectam reddiderunt ut omnibus, qui postea vixerunt, illustre ornamentum litterarum Graecarum et exemplum imitatione diligenti perdignum exstiterit. Vox autem popularis magnus et praecipuus fons est, unde poesis epica haurienda est; post labores et proelia fidibus et cantu gaudere inter epulas soliti, illustrare coeperunt homines et laudibus celebrare omnia quibus animi tum imbuti erant, proelia, ludos, amores etc. Factum aliquod memorabile saepe effecit ut ei adiungeretur ratio vivendi, mores populi, studia, amores, irae. Quid mirum mulieres et viros summis virtutibus praeditos, quae illo tempore remotissimo in honore erant, heroum et heroinarum loco habitos esse et dignos existimatos summa veneratione et pietate. Ilias autem et Odyssea sunt celeberrima carmina in quibus omnia, quae Graecorum nono et octavo saeculo viventium propria erant, luculentissime expressa et tradita sunt. Dolor Achillis, post Troiam captam magna maria emensa et errores victorum, deinde civiles perturbationes antequam sedes patrias et matrimonia sua occupaverant, fundamenta erant grandis et ampli operis, quo indolem Graecae gentis et religionem penitus perspicere possumus. Eo tempore 1)

1) W. E. Gladstone in Landmarks of Homeric Study insanias suas de Homericis carminibus parvo libello complexus ut iuventutem corrumpere possit falsis et imbecillis sententiis, contrariam opinionem profert 5 (cap. VI).

autem exstiterunt quo non iam gentium migrationes in Graecia turbata nationes et populos antea potentes, sedibus expellere solebant, sed quo lux recentis quietis et prosperitatis exorta et litterae non ita multo post vulgatae et gentes et earum carmina permanere in summa gloria sinebant. Ne Homeri (ut hoc nomine utar) carmina prima facta esse tempore, quod artium et mox doctrinae incunabula vidit, putaveris! Iliadis enim liber I: 1 docet Achillen πόδας ὠκὺν celeritatis virtute iam ante Iliadem nota celebratum fuisse nec minus ex Odyssea cognovimus, quibus carminibus Demodocus Θ 44 et Phemius α 154, 337, ρ 263, χ 331 convivas delectare soliti sint: Troiam urbem captam et Argonautarum iter mentes hominum tenuisse in Odyssea hic atque illic legimus. Nonnihil tamen historicae veritatis in Homerica poesi inest quamquam facta saepius repetita et mutata auctaque multum ab origine historica aberraverunt. Cultus autem deorum et religio, mores et ratio vivendi eo tempore, quo duo epica carmina formam suam induerunt, summa veritate descripta sunt. Quamquam Ilias et Odyssea a multis rhapsodis in diversis terris recitatae sunt, quo factum est ut in partes nonnullas ab iis divisae et auctae partim, partim truncatae propriam naturam et perpetuitatem amissurae fuerint, nisi Pisistratus eas in unam certam et stabilem formam redegisset, mansit ob huius tyranni sapientem prudentiam prisca forma satis integra et immutata. Quod Argonauticae fabulae ante Homerica tempora fictae non contigit. Quid autem argumentum fuerit enarrare et quod factum fundamentum eius fuerit exponere operae pretium est.

Pelias, filius Neptuni et Tyronis, una cum fratre Neleo expositus a pastoribus Thessalicis est educatus. Cretheo mortuo, qui matrem eorum domum duxerat Aesonemque ex

ea genuerat, Iolco potiti sunt fratres. Neleo expulso Pelias multos annos placide regnavit usque ad adventum Iasonis, filii Aesonis, perhibentis se esse regiae potestatis legitimum heredem. Quem ut e medio tolleret, iussit vellus aureum (nempe aries aureo vellere tectus Athamantis liberos Phrixum et Hellen abstulerat, quod vellus aureum ariete sacrificato Phrixus Marti sacraverat) e Colchide petere, Iasonem ratus vi tempestatum et maris vel proelio cum illius regionis tyranno interiturum esse. Iunonis et Minervae ope adiutus cum circiter quinquaginta heroibus celeberrimis, qui nomine navis a Minerva factae, Argonautae nominati sunt, per Medeam, Aeetae Colchici regis filiam, Iasonis amore succensam, inceptum audax perpetravit et post longos errores, innumerabilibus periculis obiectus, cum Medea in Thessaliam rediit rerumque potitus est. Quas res gestas homines, qui ante Homerum vixerunt, aeque intentis auribus 1) audire solebant ac postea Homeri aequales (et quisque populus per omnia saecula) Iliadem et Odysseam. Quae duo epica carmina fabulam de Argonautarum itinere oblivione obruerunt non minus summa elegantia et pondere rerum quam quod Minyae 2), quorum in

1) Cf. Odyss μ : 69 : Ἀργὼ πᾶσι μέλουσα.

2) Argonautis nomen Minyis, priscae genti Aeolicae, datum est. Argonautarum enim, qui imprimis Iolcum, unde navis Argo profecta est, habitabant, (K. O. Müller Orchomenos und die Minyer pag. 249) plerique erant Minyae. Non filii vel nepotes regis cuiusdam Minyae erant sed gens a ficto progenitore Minya oriunda (Müller Orch. 253 et 254). Duce Minya in Boeotiam progressi regnum et urbem potentissimam Orchomenum obtinebant, quae urbs praeclarum thesaurum habebat in aedificio, cuius reliquiae exstant (cf Paus. 9 : 35).

Aeoli filii erant Sisyphus, (rex Corinthi), Athamas (Orchomeni rex et Phrixi pater), Cretheus (Iolci conditor, Aesonis pater), Salmoneus. Unde

regione fabula exstitit et ornata est, gentium migrationibus, quae Heraclidarum inruptione Graeciam vexarunt, Doricae et Ionicae genti cedentes, posterorum praeconio caruerunt. Mansit eo modo materia propria, non iam carminibus celebrata nec illa rhapsodorum familia, cui nomen fuit Homeridae, exculta auctaque, et litteris non mandata in hominum memoria fuit fluxa et inconstans. Apud plurimos autem constat Argonautarum fabulam proprie spectare ad navigationes, quas Minyae cum in terras alias remotas tum in Pontum Euxinum suscipere ausi sunt. Phrixum Minyam regia stirpe colonum fuisse, qui civili discordia alteram patriam petere coactus sit seque cum peregrina gente foedere et affinitate coniunxerit, veri simile mihi esse videtur, cf Schol. ad Apoll. Rhod. 1: 933 *ἡ Λάμψακος τὸ πρότερον* Πιτύεια *προσηγορεύετο, ἣν τινες* Πιτύεια *ὀνομάζουσι. Τινὲς δέ φασιν ὅτι Φρίξος γενόμενος ἔνταυθα θησαυρὸν ἔθηκεν καὶ ἀπὸ τούτου ἡ πόλις ὠνομάσθη. Θρᾷκες γὰρ τὸν θησαυρὸν πιτύην λέγουσι.* Aureo vellere 1) significari divitias recentis 2)

---

intelligitur Iolcum, Orchomenum, Corinthum mythis et fabulis Argonautarum iter celebrasse.

Admodum mercaturae et navigationi studebant Minyae, cf Lucanus in Phars. VI : 385 gens incluta remis.

1) De variis sententiis prolatis, quid fuerit illud vellus aureum, Weicherti opus (de Ap. Rhod. 1821) inspicere pretium est diversissimas opiniones enumerantis (p. 107—112): iter Argonautarum ad errores Abrahami filiorumque spectare; vellus aureum esse librum in quo auri faciendi ratio esset descripta; insignem esse in navis aplustri aut (secundum Dionysium Mitylinaeum) cutem Phrixi tutoris Iasoni adiuncti, quae interfecto detracta esset et aurata; vel statuam thesauris collectis positam in Colchide; significari aurum velleribus in flumine inventum; esse quoque ferarum vellera a Minyis secum reducta.

2) Weichert (112—114) docet arietem ad divitias spectare. cf Artemid.

coloniae, quae metropolis invidiam moverint, et splendidum illud anathema a Solis filio Aeeta custoditum ad orientem 1) quoque, Solis regnum, pertinere, is, qui mythis et fabulis perspiciendis operam dederit, fortasse mecum statuet.

Mythologiae autem proprium est ut ea, quae notabilia fuerunt quaeque per nonnulla saecula gens aliqua facere solita fuerit, in unum exemplum contrahat et neglecta rerum veritate homines ipsos eorumque mores illustriores faciat. Qua ratione

---

Oneirocr. II : 154 et Paus IX : C 22 (de Mercurio κριοφόρῳ patrono pecudum, deinde pecuniae et mercaturae), Tarquitium vatem Etruscum in Macrobio Saturn. 3 : 7.

Sagacissime demonstrat Weichert hanc fabulam non spectare ad thesauros in solis regione inventos, quia fabulae ipsius argumentum sit vellus e Thessalia, Minyarum regione, in orientem transportatum, quod Iason cum sociis revexerit. Item draco et dentes, quae semina horrifica viros armatos genuerunt, Boeotica elementa sunt in Colchidem translata. Quare huius fabulae origo ex iis, quae ad Thessaliam Minyasque pertineant, explicanda est.

Sane quam inspicias digna est expositio, quam K. O. Müller (Orchomenus 156—171) de hominibus in deorum honorem mactatis attulit, neque negandum est a rege Athamante frustra tentatum liberorum sacrificium fabulis de Phrixi fuga divulgatis partim subesse, sed opinor hanc fabulae originem evanuisse postquam coloniae deductae, itinera maritima, commercium propria huius mythi elementa fuerint. Admodum enim mirum est, quod aries Hellen et Phrixum sublimes avexit et fabula contra docet vellus aureum reportatum, non liberos salvos in patriam reductos esse. Pro Abrahami filio et pro Iphigenia, quae postea salva in patriam Orestis et Pyladis ope rediit, agnam et cervam positas esse memoriae traditum est, quae ratio longe a Phrixi et Helles liberatione differt.

1) Sine dubio pro certo haberi potest vellus aureum ad orientem (Aeetes enim Solis filius est) referri solitum esse. Materies fabulae admodum vaga et diffusa fuit, quod non litteris mandata erat neque certa forma stabilita.

de Argonautis fabula exstitit: coloniae deductae, civiles turbae, mercandi studium, invidia metropolis in novam coloniam: haec omnia ex hominum memoria evanescere, facta regiae domus, quae Minyis praefuit, extolli coeperunt et celebrari. Quo factum est ut non colonia a Minyis in remotas terras deducta materies fabulae fuerit sed longum Iasonis iter ad vellus aureum reportandum. Quod autem ad argumentum attinet itineris in remotam terram Orientem versus facti, mente percipiendum est Graecis semper navigandi studio ultro procedentibus et mercaturae fines dilatantibus magis magisque illum ultimum orbis terrarum angulum recessisse. Origo enim fabulae nostrae antiquior est quam coloniae a Graecis in Pontum Euxinum deductae, quo factum est ut Colchis postea terminus itineris habita sit.

Videamus, qui hanc fabulam non iam epicis carminibus celebratam sed evanescentem et admodum vagam tractaverint et quibus regionibus, fluminibus, maribus poetae Argonautas vagatos esse finxerint. Hesiodus, vel qui sub eius nomine latet, in Theogonia 992—1002 argumentum Argonauticorum: Peliae iussa, Iasonis labores, Medeae in Iasonem amorem, filiumque Medeum natum breviter exposuit. Nec in Homeri neque Hesiodi carminibus, fontibus antiquissimis, qui exstant, Colchidem nomen inveniri, est animadvertendum. In Odysseae libro XII perlegendo unusquisque in incerto haerebit, utrum vates antiquitus finxerint Argonautas regionem remotam, cui magis magisque recedenti Colchidi nomen postea datum est, in Oriente sitam petivisse an occidentales regiones tantum adiisse (cf Od. μ 1—10, imprimis 3 et 4 et μ 66 seq.) Apparet versum 3 Orientem ipsum significare. At 61 Πλαγκτάς legimus Argo navem Iunonis ope praeternavigasse,

quas Homerus in freto Siculo conlocavit, quod paulo infra de Scylla et Charybdi narrat. Inspiciamus primo Iliadem ubi narrat Homerus VII: 467 seq. filium Iasonis et Hypsipyles Euneum naves plures Lemno misisse ad Agamemnonis et Menelai exercitum; Iliadis XXI, 40—43 Lycaonem, Laomedontis filium venditum esse illi Euneo, qui ei libertatem reddiderit Il. XXIII 740 et 746, Euneum pretium accepisse permagnam crateram argenteam. Quibus apparet Argonautas in insula Lemno aliquamdiu moratos esse cursumque suum rexisse Orientem versus.

Totius Odysseae ratio impedit quominus credamus Ulixen ét regiones occidentales adiisse ét Circen sub solis ortu habitantem. Quia autem Argonautarum iter ante Homericam aetatem percrebuit, non fieri potuit quin multa, quae ad Argonautica pertineant, in epicam de Ulixis reditu narrationem translata sint. C. O. Müller quoque (Orchom. 273, 274) affirmat Homerum Planctas et alia (ut de duabus veneficis quibus Circe nomen est) in occidentalia maria transposuisse. Illi mora in insula Lemno facta magnum argumentum est Argonautas regiones inter Septentriones et Orientem Solem sitas petiisse. De reditu Iasonis et sociorum Homerus ne uno quidem verbo mentionem facit nec ex Odyssea scrutari possumus, qua Argonautas rediisse finxerit 1).

Negandum igitur est Argonautas secundum antiquissima testimonia tantum maria Tyrrhena et Sicula explorasse. Mare

1) Conferas quoque Hesiodi fragmenta (ed. Goettling 1843) 62, 84, 85. Schol. Apoll. Rhod. IV : 284. Ἡσίοδος δέ φησι διὰ φάσιδος αὐτοὺς (τοὺς Ἀργοναύτας) πεπλευκέναι, fragm. 86 Schol. Apoll. Rhod. IV: 259 Ἡσίοδος δὲ καὶ Πίνδαρος ἐν Πυθιονίκαις καὶ Ἀντίμαχος ἐν Λυδῇ διὰ τοῦ Ὠκεανοῦ φασιν ἐλθεῖν αὐτοὺς (τοὺς Ἀργοναύτας) εἰς Λιβύην καὶ βαστάσαντας τὴν Ἀργὼ εἰς τὸ ἡμέτερον πέλαγος γενέσθαι.

et praeterea : fragm. 87, 88, 91, 111,, 115.

Euxinum tum ignotum et periculosum de Argonautarum itinere narrationem satis arcanam et occultam reddebat ut miracula et monstra addi possent et corona intentis animis aurem rei novae et inauditae praeberet. Post autem Homerica tempora cum mare Euxinum magis peterent Graeci multasque colonias (ut Sinopen anno 740) deducerent, regionem, quam Argonautae dicebantur adiisse, eadem ratione longius remotum itineris terminum fuisse 1) finxerunt, neque rediisse nautas per Asiae flumina et regiones sed per inhospitales terras septentrionales, ut Timagetus narravit iter fecisse Argonautas per Celticam et mare Tyrrhenum (Schol. 4 : 259), quem Timagetum Apollonius magna parte secutus est, quod attinet tantum ad reditum. Mimnermus in elegiis quas Nannoni dicavit, Argonautarum iter quidem commemoravit, neque Colchidem nominavit 2). Pindarus autem primus materiem undique dispersam et fluctuantem in novam formam oden Pythiam IV redegit, qui etiamtum, ut Hesiodus, Argonautas per Asiam et mare Erythraeum rediisse narrat, inque eo reditu Lemni moratos esse. Eumelus Corinthius in Κορινθίᾳ συγγραφῇ primus Colchidem itineris terminum fuisse statuit.

Tragici quoque diversas fabulae partes tractaverunt: Aeschylus in dramate satyrico Ἀργὼ ἢ κωπευσταί (Dind. p. 101); Hypsipyle, Phineo, Cabiris, Lemniis, Circe (drama sat. Dind. p. 107); Sophocles in Lemniis, Colchidibus, Rizotomis, Scythis, Amyco (Dram. sat. Dind. p. 125); Euripides in Phrixo,

1) Cf. de analogia inter Argonautarum iter sensim paulatimque dilatatum et inter Aeneae magis magisque progredientis errores et variatas stationes: nouvelles promenades archéologiques. Horace et Virgile. par Gaston Boissier Paris. 1890.

2) Bergk fragm. 11.

Hypsipyle; Neophron quoque, Euripides iunior, Biotus, Carcinus, Dicaeogenes.

Antimachus in elegiis ad Lyden Medeae et Iasonis amorem quoque cecinerat, quae elegiae factae sunt exemplum Musae Alexandrinae, quae multis rebus et nominibus accumulatis amantem infelicem et amori succumbentem consolari solebat 1). Sed praeterea innumerabilia scripta erant, quorum nomina et auctores in scholiis invenimus: longa enim series est fabularum Heraclearum (quae de Herculis laboribus agunt) et scriptorum, quae coloniam Bithyniam Heracleam eiusque vicinitatem tractaverant; multi quoque logographi et mythographi in scriptis Argonautica narraverant, quorum nomina longo ordine enumerare hoc loco alienum mihi videtur: praeterea geographi nonnulli qui regiones singulas descripserant (Asclepiades Bithyniam, Deilochus Cyzicum, Timagetus, Callisthenes Alexandri Magni amicus litora et urbes Ponti Euxini). Quamquam nomen scriptoris vel poetae a scholiastis laudatum non documentum est Apollonium eum inspexisse vel ab eo nonnulla mutuatum esse. Inutile autem mihi videtur esse demonstrare Apollonium catalogum et partem geographicam extrema diligentia et cura, quae Alexandrina sunt, composuisse. Cum nec in tragoediis nec in elegiis Antimachi Medeae amor nascens primum locum occuparet, et materiei ipsius plures partes diversis modis tractatae essent, Apollonius Rhodius laudandus est, qui primus materiem mythologicam antiquo epico modo simpliciter et venuste narravit ita ut rationem dicendi, comparationes, multa alia ab Homero non servili modo derivaverit sed adiunxerit aut omiserit, quae ei propria aut a re aliena

1) Couat, la poesie Alexandrine pag. 66, 67.

videbantur esse. Id quoque demonstrare mihi in animo est per comparationem mihi propositam inter carmina epica Apollonii Rhodii et Valerii Flacci, qui Apollonii Argonauticis non unico fonte usus maximam tamen partem eum auctorem habuit. Diodorus enim Siculus in Bibliotheca IV : 40—57 Argonautica et Iasonis vitam tractavit. Ad quae narranda, ut ipse dicit, permotus est quod Hercules, cuius labores descripserat, unus ex Iasonis sociis fuit. Multis locis longe ab Apollonio differt nec mirandum; ipse enim dicit IV : 44 : 5 *καθόλου δὲ τοὺς παλαιοὺς μύθους οὐχ ἁπλῆν οὐδὲ συμπεφωνημένην ἱστορίαν ἔχειν συμβέβηκε· διόπερ οὐ χρὴ θαυμάζειν, ἐάν τινα τῶν ἀρχαιολογουμένων μὴ συμφώνως ἅπασι τοῖς ποιηταῖς καὶ συγγραφεῦσι συγκρίνωμεν.* Quid autem Valerius a Diodoro mutuatus sit, G. Thilo in prolegomeno pag. VIII adn. 2. explicavit, quo

---

1) Apollodorus Atheniensis, filius Asclepiadis, Aristarchi et Panaetii discipulus, accuratissime Apollonii Rhodii Argonautica secutus est in Bibliotheca 1 : 9 : 16—27. Hic atque illic occasionem habebo demonstrandi, quam bene Apollonii ingenium perspexerit. Cum de reditu Argonautarum non acturus sim quod Valerii carmen ad flumen Istrum usque tantum pertinet, analogiam inter Apollonii librum IV et Apollodorum indicabo. Conferas de tempestate et trabe vaticinante Apoll. 4 : 578 seq. et Apollod. 1 : 9 : 24 : 4

de Eridano	4 : 596	seq.	et	Apollod. ibidem
de Celtis	4 : 611	»	»	1 : 9 : 24 : 5
de Sardoneo mari . .	4 : 633	»	»	ibidem
de Circe et Aeeo litore.	4 : 660	»	»	ibidem
de Sirenibus et casu Butae	4 : 893—920	»	»	1 : 9 : 25 : 1
de Scylla et Charybdi .	920—963	»	»	1 : 9 : 25 : 2
de Phaeacum terra . .	990 seq	»	»	1 : 9 : 25 : 3 et 4 et 5
Talas in Creta . . .	IV : 1637 seq	»	»	1 : 9 : 26 : 4

non commemoravit Syrtes et navem a nautis in mare portatam.

apparet nonnulla libri quinti et sexti auctore Diodoro Valerium auxisse. Diodorus non, ut Apollodorus 1), secutus est Apollonium.

Ante Valerium P. Terentius Varro Atacinus Apollonii Rhodii Argonautica in Latinum sermonem magis verterat quam suo arbitrio usus erat: numerum quattuor librorum quoque retinuit 1).

P. Ovidius Naso in tragoedia Medea, quae non exstat, in epistula Medeae, quae ei adscribitur et in Metamorphosibus VII: 1—400 fabulas Argonauticas tractaverat.

Mira Orphica Argonautica, quae exstant, ad argumentum nostrum nihil pertinent. Non tam carmen epicum est quam sacerdotale, imprimis Orphicum cultum et mysteria 2) explicat, omittit aut nonnullis verbis mentionem facit earum rerum, quas Apollonius Rhodius narravit. Christianis temporibus ad Orphica et Pythagorica mysteria atque sacra contra ecclesiasticos defendenda facta esse, ut nunc exstant, F. Jacobs 3) assentiente F. A. Wolf 4) luculenter demonstravit.

Blossius Aemilius Dracontius saeculi V sub finem inter alia confecit parva epica carmina: Hylam, Medeam.

---

1) Cf. Prob. Verg. Georg 2 : 126 Varro, qui quattuor libros de Argonautis edidit, et Quinct. 10 : 1 : 87 Atacinus Varro in iis per quae nomen est adsecutus, interpres operis alieni, non spernendus quidem, verum ad augendam facultatem dicendi parum locuples.

2) De Orphicis rebus in Diodoro cf Bibl. 4 : 43 : 2, 4 : 48 : 6 et 7, 4 : 50 : 8.

3) Vermischte Schriften V 519—542.

4) Operis laudati pag. 530.

Apollonii Rhodii Argonauticon I : 1—558 et Valerii Flacci liber I.

Valerius Flaccus incipit sollemni ore nuntiare se maria aperta fatidicamque navem et coelo acceptam canturum esse 1). Grandibus verbis Apollinem invocat et humili adulatione Caesarem precatur ut, alter Maecenas, se labori forensi ereptum sustentet ad narranda, quae Latinas urbes admiratione impleant. Vide arrogantiam, quasi Romanorum interfuerit audire, quae mythologica facta Graeculi ante Homerica tempora gessissent.

Haemoniam, ut Valerius argumentum exponere coepit, regebat rex Pelias, qui oraculis (qualia fuerint, noster tacet) veritus ne ab Iasone Aesonis filio vi interiret, ab affine, quod in Graecia nullum periculum iam imminebat, petivit ut sibi vellus aureum, quod Phrixus in Colchide sacravisset Marti, reduceret. Sperabat enim fore ut in itinere Iason periculis succumberet. Mox patuere doli et Iason dubius, quid agat, sed gloriae cupidus et Iunonis (quod magna tempestate coorta eam per Enipeum tulerat) Palladisque (quae eius deae auxilii causa fuerit, non monet Valerius) opem sperans audax consilium mente concipit (1—90). Deae Iasonis precibus dicto audientes sunt et altera Thespias devolat Argi cohortandi causa ut se adiuvante navem aedificet. At Iuno heroes Argo-

1) Martialis VII : IX docet fragmentum navis in foro Romano ostendi solere!

licos concitat ut una cum Aesonide „ventos parentibus inexpertos" (97) temptarent. Ecce omne Graeciae robur coit, Faunis Amnibusque navem laudibus extollentibus. Cum Iuno Herculem quoque et carum ei iuvenem Hylam in heroum numero esse videt, indignatur hominem sibi inimicissimum non hieme et undis posse exstingui nave vehentem, quae prima divina ope per maria vias inventura sit 90—120. Paucis verbis incertis narrat poeta quo modo navem aedificarint. Multis ambagibus varios picturae honores et ornatus 1) describit, quibus tempore remotissimo recens gens humana primam navem exornaverit (120—149)!

Miranda nave adspecta stupens Iason mente agitat quae pericula parentibus relictis et filiis undis expositis immineant, de bono eventu desperans dubitat utrum inultus pericula subeat an potius Acasto arrepto crudelem tyrannum ingenti luctu afficiat. Ecce omen prosperum, aquila Iovis unguibus raptam agnam eripiens, alis se tollit: quo viso erectus animo facile regis filio iam dudum gloriae cupido persuadet ut una cum Argonautis iter faciat; in profectione ipsa Acastum navem escensurum esse, inter eos convenit (149—183). Quamquam Graecis et Romanis moribus licebat inimicum quam plurime laedere, hoc Iasonis dolo Valerius argumento suo, ut erat, valde offecit: profectio enim navis fugae similis facta est et ducem navis primo maria aperturae magnanimum et fortem virum esse decebat neque tot virorum ope adiutum pericula vereri sed ipsum sua sponte ea petere.

Navem iam perfectam humeris subeunt nautae, in mare deducunt, Neptuno, Zephyris, Glauco, Thetidi aras statuunt.

---

1) Cf. 1 : 273 auratis corymbis.

Undarum potentem precatur Iason ut sibi ignoscat invito vias per mare inlicitas petenti. Tum flamma ex igne et visceribus exorta dira canit Mopsus et verbis abruptis, sed luculentissimis nonnulla de futuris praedicit. Admodum reprehendo quod illo vaticinio nihil obscuri vel ancipitis inest.

Animadvertendum est Mopsum postremo praedicere caedem Iasonis liberorum a Medea factam et alteros thalamos iugales (226). Cum ea quae vates in Valerii carmine mira diligentia nimis accurate praedicunt, semper plane eveniant, haud dubium mihi est, quin Valerius carmen suum usque ad Medeae scelus fugamque et ad navem in flammifero Olympo sacratam (cf 1 : 4) continuare sibi proposuerit (205—226).

Contraria sed vana et inania Phoebeius Idmon 1) Argonautis divinat: cum Mopsus tot dira vaticinia accumalaverit, nihil dicit Idmon nisi nautas, dummodo laboris patientes sint, omnia pericula vincere posse. Tacet enim aeternam gloriam ob primum maritimum iter factum, dearum et tot virorum opem et validam a Minerva constructam navem (227—239).

Lacrimis obortis flebili voce (quid? si quis lacrimans omnia bona nobis ominetur, num ei fidem habeamus?) fausta illa vaticinia canit Mopsus. Nam mortem suam providet, quam calamitatem sibi ipsi, non Argonautis imminentem tacet. Ea vaticinia admodum Romana quidem sunt. Attamen auguria ridicula esse Ciceronis iam sententia erat, qui narrat duos haruspices in foro sibi occurrentes risum tenere non posse. Hoc autem loco flentem vatem prospera canere, inauditi et novi aliquid est.

Antequam Apollonii carmen conferam, non possum quin hoc loco partem Alexandrini operis exponam, quo intelligatur

1) Recte igitur Iason 4 : 546:
nec vates sat iam mihi Mopsus et Idmon.

qua ratione Valerius usus sit ne semper ab Apollonio, exemplo suo, pendere videretur. Bovibus mactatis, ut Apollonius 1 : 432 seq. narrat, laetatus est Idmon flammam cernens undique e sacrificio splendentem et statim intrepidus mentem exposuit Apollinis: Argonautas post multos errores salvos in patriam esse reversuros, sibi tamen tristi deorum fato mori destinatum esse in Asiae continente. Vide quanto melius Apollonius rem suam egerit! Vatem enim, qui mortem providens magna dicendi vi socios cohortetur ut susceptum perficiant et declaret se fato sibi imminente minime turbatum sed virtute et officio commotum malle cum sociis exire, ut gloriam et fatum oppetat, facile socios incredibili studio inflammare nemo est quin statim intelligat. Talia vociferans augur re vera Deo plenus et ἔνθεος est maximamque vim ad persuadendum habet. App. Rhod. 1. 432—447.

Denique sinistris Mopsi vaticiniis minime commotus, flentis Idmonis adhortatione audita dux, sibi ipse augur maiore auctoritate, quod intellexit Iovem ipsum haec velle et commercia suo mundo „et tantos hominum miscere laboris" (245, 246), iter facere statuit. Postrema nox paucis verbis tantum commemoratur et non possumus quin in Herculis Tirynthii herois aspectu haereamus. Adveniunt Chiron et puer Achilles, qui non vinum nec signa curat, tantum in ducibus et ante omnes in Hercule stupet. Quae in memoriam revocant Achillem Scyro in insula ab Ulixe studio armorum detectum esse. Hoc autem loco Chiron et Achilles ab Argonautis ipsis animum avertunt: supervacua haec omnia sunt nec quidquam ad rem pertinent. Precibus Pelei ut dei filium se absente tueantur, omnibus viae calor additus est (271), quod sane inexspectatum est et temere dictum a poeta.

Cantu et ludo degunt noctem. Laudandus est Valerius, qui ad res ante gestas in memoriam revocandas Orpheum Helles infelicis mortem et Phrixi ariete aureo servati casum canentem induxit (240—293).

Tot et tantis vaticiniis nondum, ut videtur, firmatus Iason navis speciem per somnum oblatam videt adhortantem etiamtum ducis dubium animum. „Ille pavens! laeto quamquam omine divum", prosiluit stratis (309) et mox ancoram solvere iussit socios. Maerent mater et pater. Offendit quod mater nihil nisi suum ipsius luctum curat: tale quid se antea numquam timuisse, aliis Diis (misericordia digna est!) vota esse facienda. Deinde timores et curas longo sermone enumerat (294—349).

Sed videamus quo modo Apollonius rem suam egerit. Initio Apollinem solis et lucis deum invocat et argumentum fabulae exponit: Peliam regem oraculis exterritum, quae praedixerint eum ab homine uno calceo induto interiturum esse, iussisse Iasonem, qui ad eum venerit altero calceo in transitu fluminis amisso, vellus aureum e Colchide petere. Peliam autem Iunonis Pelasgiae rationem non habere navemque Minervae ope exstructam esse, ab aliis iam traditum esse monet poeta.

Cf. 18—22 Νῆα μὲν οὖν οἱ πρόσθεν ἐπικλείουσιν ἀοιδοὶ
Ἄργον Ἀθηναίης καμέειν ὑποθημοσύνῃσιν.
νῦν δ' ἄν ἐγὼ γενεήν τε καὶ οὔνομα μυθησαίμην
ἡρώων δολιχῆς τε πόρους ἀλὸς ὅσσα τ' ἔρεξαν
πλαζόμενοι· Μοῦσαι δ' ὑποφήτορες εἶεν ἀοιδῆς.

Animadvertere velim nos in medias res incidere more epico: in cyclo enim Homeri et Homeridarum carminum altera rerum gestarum series alteri succedens effecit, ut exordio non opus fuerit. Quamquam Argonautica in cyclo epico non

erant, Apollonius finxit se interceptum opus perfecturum esse.

Incipit autem rectissime Apollonius catalogo Iasonis sociorum primum enumerato. Nam illico cognoscimus quot et quales heroes 1) cum duce itineris periculum sint facturi, quo intelligimus novi et magni aliquid poetam suscipere, dignum omnium attentione. Quamquam autem haec digressio longa est et Alexandrina iactatione doctrinae laborat, in meliore loco eam posuit Apollonius Valerio (350—483), qui in enumerando catalogo Apollonium quoque secutus fere eundem sociorum numerum refert, nonnullis omissis aliisque adiunctis, qui in Apollonii Argonauticis desunt, Clymeno, Deucalione, Iphi, Nestore, Philoctete, Tydeo, quorum tres postremos inseruit, ut Troiani belli mentionem faceret 2). Apollonium praeferendum esse Valerio eo quoque, quod in argumento ipso se continens non scientiam Homerici cycli iactaverit, monendi causam saepius habebo (1—233).

Heroes magno civium numero stipati, ut lucidae stellae inter nubes, per urbem ad navem iam omnibus rebus paratam concurrunt. Omnia, quibus plebis animi commovebantur, admirationem et in heroes favorem, de itineris periculis timorem, vota, preces, misericordiam infelicissimae matris grata veritate descripsit Apollonius. Ut summo in monte rivulus e liquido et parvo fonte profluit at sensim paulatimque crescunt undae et late

---

1) Plerique sunt Minyae, quod docet Argonautarum iter non factum esse a sociis undique collectis sed esse coloniam post civiles discordias, ut verisimile esse videtur, a Minyis deductam.

2) Coronum, Clytium, Areium, Augeam, Asterium, Ancaeum alterum, Palaemonium, Iphitum alterum Valerius non nominavit, ut numerus non plane consentiat.

Diodorus 4 : 41 : 2 Atalanten quoque, Schoeni filiam nominat.

sonantes mox per valles et patentes campos tranquillo cursu aquas in mare ducit flumen, sic Apollonii carmen argumento breviter exposito, heroum nominibus narratis, medias in res lectorem secum ducit nec ullis ambagibus sed aperte et dilucide rerum seriem evolvit. In litore stat Alcimede mater, postremis amplexibus adhaerens filio, ut puella sub dura noverca gravissimam vitam trahens, nutrici omnem dolorem effundere velit neque potest: curis enim gravioribus animus est ei afflictus (268—276). Et questus effundit: o utinam mortua et sepulta cara sibi filii manu esset, qui, decus matris et totius vitae deliciae, praemia educationis et materni amoris tam grata beneficii memoria referret. Senectute tristi et filii carissimi et unici, cui soli zonam solverit, desiderio, se mox absumptum iri. Phrixum, Phrixum illum causam fuisse tot malorum, se numquam suspicatam esse! Matrem querentem Iason, misericordia et amore commotus, audit ac respondet: ei aequo animo caecam necessitatem esse ferendam, at se ipsum lacrimis non posse retineri et dedecere matrem, ut avem infaustam, proficiscenti navi adesse. Eam deinde domum abire cum ancillis leniter iussit (233—306).

Ut Apollo nitido splendore per Delum aut Clarum incedit, sic Iason per multitudinem ad navem it. Iphias sacerdos vetula, ei occurit, ut manum osculetur: omnibus enim carum caput erat Iason. Quem socii apud navem collecti salutatum obviam veniunt. Quum Acastus 1), Peliae regis filius, et

1) Patre inscio et nolente Acastus sua sponte nec ab Iasone corruptus sociis se adiungit, quod demonstrat causam Iasonis iustam esse.

Iasonis labores longe differunt a rebus gestis aliorum heroum, quia ille non solus sed multis cum sociis periculosum iter suscepit. Quod demonstrat non tam Iasonis errores quam coloniam a parte Minyarum, quorum socius etiam regis filius ipse fuerit, deductam Argonauticae fabulae fuisse argumentum.

Argus Astorides quoque advenissent, Iasoni adhortato, ut ducem eligant, auctore Hercule, quem omnes navi praefecturi erant, summum imperium traditum est. Hercules, fama et robore facile princeps inter pares, Iasonis sociis adiunctus est, quum de Argonautarum itinere fabula ita esset celebrata, ut omnes heroes mythologici temporis Iasonis comites fuisse dicerentur. Honorem autem oblatum recusaret Hercules neque primas partes ageret necesse erat, quod haec Minyarum fabula tempore mutata Aesonis stirpem laudibus tollere inceperat. Quae obliti nonnulli auctores 1) Herculem sociis praefectum esse finxerunt. Vide autem poeticum ingenium et temperantiam multorum iudiciis spreti Apollonii! Cum plurimis locis (ut demonstrabo) Valerius Iasoni Herculem praeposuerit et ducis ipsius damno athletae facta virtutemque celebraverit, Apollonius honore debito Herculi tributo fere silentio eum praeterit, donec Hyla a nympha in Mysia arrepto, luctu et ira incensus, in montibus errans a sociis relictus est.

Postea Iason boves selectos agere, navemque in mare trahere, aram Apolloni Embasio statuere iussit. Legenti quo modo magna vi et iuvante clamore, phalangis stratis, remis pedibusque nitentes per ductam fossam navem in mare detrahant, mox persuasum erit Apollonio veram et puram indolem poeticam esse, qua naturam rerum hominumque vere et vivaciter et iucunde depinxerit. Transtris sorte divisis, deinde lapidibus devolutis ad aedificandam aram, secundum remotissimum tempus omni ornatu et luxu carentem, Iason multis sacrificiis promissis ab Apolline, qui in Apollonii carmine multo plus, quam Hera ipsa duci favet, salvum reditum precatur.

---

1) Cf Diodorus 1 : 41 : 3.

Igne e sacris femoribus exorto, Idmon vaticinatur, de quo iam diximus. Tum sole iam in occidentem vergente, alga et foliis prope navem stratis ex ordine discumbunt. Iason, quamquam dux minime incertus est et dubius, an iter non perficiat, sollicitus tamen volvit animo omnia pericula maris et viarum. Quem magna voce obiurgat Idās, qui Bacchi latice inflammatus Deos offendere ausus est. Iason ab eo irrisus ultionem Deorum minatur. Rixam procedentem socii placant monitis et Orpheus originem mundi canens 1). Prima luce splendido sole, mari atque sacra navis trabe magno clamore insonantibus ut abeant, faustis ominibus ancoram solvunt 306—525.

Valerium adulatione in principem (5—21), interventu Deorum (91, 113—120), pictura mirifica navis Argus descripta, dolo Iasonis (156—183), precibus timidi et dubitantis ducis (194—204), sinistris et vagis vaticiniis (205—240), adventu Chironis et Achillis (255—270) 2), ducis somnio (300—315), omissis deinde, quae in Apollonii Rhodii carmine bene se habent, longo catalogo interposito, quod vitium gravissimum profectionem ipsam interrumpit, argumentum nimis dilatasse et male rem suam egisse dixerim! Iasonem deinde timidum et dubium et plerumque Deos precibus fatigare, cognovimus; quae plura de eo proferam nescio.

At Apollonius ducem intrepidum neque dubitantem eumque stipatum a civibus maerentibus, carum maximae natu sacerdoti, a matre, cui educationis praemia grato animo et pietate reddidisset, defletum, pulchritudine et splendore deo similem, ascendisse navem venustis versibus narravit. Praeterea Alexan-

1) Quod admodum Orphicum est. Eo modo incipit de Argonautis carmen Orphicum, quod exstat.

2) Melius fecit Apoll. 554 seq.

drinus poeta uno tenore, summa poetica vi et elegantia fabulae argumentum tractavit ita, ut multa, quae ad sacrificia, ad navem in mare deductam, ad profectionem ipsam pertineant, grata nec unquam supervacua copia scribendi oculis proposuerit.

Profectionem navis et locorum situm marisque aspectum et litoris, resonantes undas more Homerico pulchre descripta esse animadvertam. Iasonem autem intrepidum quidem, sed rerum rationem habentem, lacrimis more epico obortis (in regionibus meridionalibus ét animi motus fortiores sunt ét in Iliade et Odyssea plerumque flent heroes, quod neminem offendit) in patriam oculos avertisse, minime improbo 1).

Mare remis pulsant nautae, ut graciles pueri tellurem circum aram Delii Apollinis. Spumant caeruleae undae manetque album vestigium navis, ut semita virides per campos: elucent ahenea Argus ornamenta: dei quoque et semidei florem Graeciae iuventutis in nave proficiscentem aspiciunt, extremo in litore Chiron parvum Achillen bracchiis gestans et a diis salvum reditum precans apparet (grata et venusta imago). Cum portu exiissent, malo arrecto velisque passis tranquillum mare secant, Orpheo lyra et cantu Dianam celebrante. Quo allecti saliunt circum currentem navem pisces, ut oves pastores sequuntur, qui fistula suaviter modulans pecus in stabulum ducit. Ventus autem secundo afflatu celeriter navem propellit. Eo modo sibi confisos Argonautas ominibus faustis, in splendore solis arridentis et serena tempestate profectos esse fingit Apollonius (525—558).

At apud Valerium quid legimus?

Salutatio abeuntis Iasonis ad parentes (quod Apollonius

1) Non recte Couat (La poésie Alexandrine pag. 322) haec in Apollonio reprehendit.

priore die factum esse narravit) profectionem ipsam atris curis turbidam adumbrat. Nihil de faustis ominibus, nihil de sperato reditu salvo audimus, neque ullum constantem et fortem esse. Advolat Acastus horrens iaculis, Iasonis dolis inductus regis filius. Tum, fune securi ardenti abscissa, Argo mare altum petit fugiens et furto anxia (quod Valerius sane pulchra comparatione, quae sequitur, demonstrat), ut catulis tigridis raptis venator anhelantem equum in summam velocitatem concitat, ut silvam effugiat. Iuvene callide arrepto primam carinam furti consciam sed maria aperturam Graeciaeque navigandi studium moturam, quo divina illa regio humanitati per omnia saecula libertatis exemplum et omnium bonarum artium magistra fuit, Valerius auctor est.

Hactenus de Apollonio Rhodio et Valerio Flacco comparatione instituta diximus. Quae sequuntur usque ad finem libri primi Valerius solus narravit, omnia quae ad Pelian, Iasonem, Medeam pertinebant, tractatarus.

In Apollonii Rhodii carmine nullum indicium invenimus Argo fuisse primam navem, quae aequoreas undas secuerit 1). Ne I : 547 quidem (πάντες δ'οὐρανόθεν λεῦσσον θεοὶ ἤματι κείνῳ νῆα καὶ ἡμιθέων ἀνδρῶν μένος, οἳ τότ' ἄριστοι πόντον ἐπιπλώεσκον) hoc indicat poeta — robur enim Graeciae Dii admiratione tantum aspiciunt, nec uno verbo designat hoc loco poeta primam navem esse profectam. — Nec I : 723 τὴν οἱ ὄπασσεν Παλλὰς ὅτε πρῶτον δρυόχους ἐπεβάλλετο νηὸς Ἀργοῦς, ubi ὅτε πρῶτον significat „simul ac". Quo loco manuscripta in verbis ὅτε πρῶτον inter se non differunt. Nam ὅτε πρῶτος significaret Argum primum fuisse constructorem navium. Nec versus III. 340—346 hanc opinionem confirmant.

1) Nec Appollodorus in Bibl. 1 : 9 : 16 : 6 huius ab argumento alienae rei mentionem facit.

νῆα δ' Ἀθηναίη Παλλὰς κάμεν, οὐ μάλα τοίην,
οἵαί περ Κόλχοισι μετ' ἀνδράσι νῆες ἔασιν,
τάων αἰνοτάτης ἐπεκύρσαμεν· ἤλιθα γάρ μιν
λάβρον ὕδωρ πνοιή τε διέτμαγεν. ἣ δ' ἐνὶ γόμφοις
ἴσχεται, ἣν καὶ πᾶσαι ἐπιβρίσωσιν ἄελλαι.
ἶσον δ' ἐξ ἀνέμοιο θέει καὶ ὅτ' ἀνέρες αὐτοὶ
νωλεμέως χείρεσσιν ἐπισπέρχωσιν ἐρετμοῖς.

ubi de navis virtute Argus, Phrixi filius narrat. Animadvertendum est Apollonium 1) fabulae originem et rationem bene perspexisse. In exordio enim iam monui de Argonautis mythum nihil esse nisi memoriam multorum a Minyis factorum itinerum, quo modo iidem colonias per maria deduxerint et primi fortasse Pontum Euxinum intraverint et ea audacia Cyanearum rupium metus mox evanuerit. Quo autem mari nondum recluso iam diu navigationi studuerant Minyae, pericula maris cognoverant neque verebantur. Itinere Argonautarum nihil novi neque inauditi factum est, nec minus hominum commercium vel mores mutati sunt. Igitur non opus erat interventu Deorum nec conciliis: non enim Argonautae maris dominationem a diis invidis in se tracturi erant, ut Prometheus olim e coelo ignem furto subduxerat Iove invito, quo recentium hominum mores leniret. Multa autem iam maria patebant, unum tantum ignotum aperturi erant Argonautae.

Praeterea a Graeca mente et indole alienum erat timores et pericula, quae prima nave maritima vecti habuerint, secum reputare et de iis fabulam componere. A quo enim

1) Ut plures aequales. cf Charax in Eusth. ad Dion. Perieg, 687: ἱστορεῖ δὲ Χάραξ τοὺς Ἀργοναύτας οὐ μιᾷ νηὶ ἀλλὰ πολλοῖς πλοίοις, εἰς πλεῦσαι τὸν Εὔξεινον.

Nonnulli dicunt Danaum primam navem construxisse, quo apparet iam in Graecis scriptis hoc factum in remotius tempus recessisse.

tempore memoriam repetere poterant, maria navigaverant. Ut senex temporis iam diu praeteriti, quo haesitans et primis incerto pede gressibus labans ire conatus est nutricis manu sublevatus, non iam meminisse curat neque potest, sic Graecis a primis temporibus navibus vehi solitis labores et timores, quos primo per mare itinere perpessi erant, oblivione e memoria excesserant.

Plurimis autem locis Valerius magna vi et perspicuitate monet Argo fuisse primam navem maritimam.

1. Prima deum magnis canimus freta pervia natis
fatidicamque ratem.

75. si qua operis tanti domito consurgere ponto
fama queat („ponto" non spectat ad certum mare sed mare ipsum nondum apertum).

151. hacine nos animae faciles rate nubila contra
mittimur? etc. (ubi mare sibi fingit Iason imperitus et nescius semper perniciem et interitum minari, quae Acasto abrepto possent a se arceri).

169. pelagus quantos aperimus in usus!

196. scio me cunctis e gentibus unum
inlicitas temptare vias hiememque mereri.

211. nostris modo concitus ausis
aequoreos vocat ecce Deos Neptunus et ingens concilium.

245. deus haec, deus omine dextro,
imperat ipse suo voluit commercia mundo
Iuppiter et tantos hominum miscere labores.

498. siderea tunc arce pater pulcherrima Graium
coepta tuens tantamque operis consurgere molem
laetatur: patrii neque enim probat otia regni.
cf 607, 702, 2 : 49.

Apud Ovidium legimus VI: 720 Metam:

Vellera cum Minyis nitido radiantia villo
per mare non notum prima petiere carina.

Potest fieri ut Ovidius Diodorum inspexerit, quem Valerius hic atque illic imitatus est. Diodorus fortasse e Dionysii Mytilenaei libris de Argonautis rivulum deduxit aut ipse omnium historicorum facile princeps fabularum scriptor et mythographus secutus est alium scriptorem minus notum, qui narravit primam navem, cuius nomen et casus cognoverat, fuisse primam navem, quae exstiterit.

Narravit enim Diodorus 4 : 41 : 1 Iasonem primum sub Pelio monte navem, mole ceteroque apparatu longe maiorem quam consuetudo ferret, aedificasse, cum ratibus illa tempestate et lembis navigarent. In his Diodorus lectorem non offendit, quod Herculis vitam et labores exponens Argonautarum iter (erat enim Hercules quoque in numero sociorum) accurate quidem sed breviter narravit. Abstinuit ne innumerabiles urbes et splendidum luxum insereret, quod ineptissimum fuisset in fabula de primae navis itinere neque concinit tempori, quo iis nondum inventis, quae ad laute et bene vivendum necessaria sunt, homines inculti erant et rudes moribus. Ei tamen Diodori et Valerii expositioni totius fabulae argumentum repugnat: Phrixum enim in longinquas terras advenisse eamque famam in Graecia percrebuisse fabula sumit, quo intelligi potest navibus iam antea uti solitos Graecos. Non nego Valerianum argumentum de itinere primae navis longae omni momento et gravitate carere, sed opinor luxuria et morum magnificentia, quibus describendis Vergilium est imitatus, Valerium suum argumentum detorsisse. Quamquam epicum est poetam Homeri et Vergilii exemplo de suo tempore non-

nulla inserere, ipsum Valerii argumentum impediebat ne tale quid faceret.

Nave profecta Valerius Olympum et coelicolas induxit. Incipit historia mundi, gaudent Dii et Deae, quod iam finis adest aeterni taedii, et Parcae maioris pensi cupidae 1). At Sol moleste id ferens Iovi ipsi ausus est convitiari: se enim veritum, ne hostes Aeetae, filio suo, nocerent, eum frigidae regioni Scythicae praefecisse, eumque bruma et frigore ulterius recedere non posse. Num Aeetem quidquam in Graecos peccasse et Phrixum invitum retinuisse, ut ipse vellus aureum haberet? Immo vero eum noluisse una cum Phrixo in Thessaliam proficisci, (Sol ira incensus obliviscitur Argo esse primam navem, ut Aeetes et Phrixus Thessaliam per mare magna classe petere non potuerint) ut Phrixus a parentibus suis poenas iustas sumeret, sed potius eum parte imperii et filiae connubio eum sibi adiunxisse. Iam satis consciam luctus silvam Padi esse morte Phaëtontis 2).

Sol igitur et Boreas, fortasse septentrionalis regionis custos (conferas, quae dicam ad 598—607 pag. 31) uterque Scythiam defendunt: frigor et calor foedus inierunt easdemque partes agunt. Mars Soli assentitur, Iuno et Pallas indignatione fremunt (498—530).

At Iuppiter contra: ita stare fixum et immutabile fatum rerumque ordinem, se summa aequitate omnia ita sanxisse, cum nondum sibi filii in terris essent. Scythicae autem genti

---

1) Cf. 498—502.

2) cf 527. Valerium Ovidium multum versasse manu perspicuum est, quod mythologiam Ovidii more ubicumque potest (in Metamorphosibus id bene se habet) inseruit. Mythologiae enim doctrinam multo magis Valerius iactat quam Alexandrinus poeta. Ad id pluribus verbis demonstrandum occasio non deerit.

rebus secundis diu usae nunc imminere fatum: auspiciis a se ipso missis navem esse profectam neque se quidquam mutaturum esse nec minus Troianum ob Helenam raptam coepturum bellum. Se iubere Bellonam contentam esse quod per undas et per hiemem via ei munita esset. Nunc autem se Danaum gentem et mox alias gloria et auctoritate sublaturum exspectare velle, qui populus terrarum imperio dignus foret.

Potestate sua et petulantia elatus Juppiter, quasi omnes Olympi incolas lacessens, ne fato et sibi resistant, Herculem et Tyndaridas, suos et Ledae filios digito indicat iisque multos labores vaticinatus lumine fulmineo Castorem et Pollucem 1) honorat. Qua re, ut plurimis locis, Iasoni non profuit Valerii, alios ei anteponentis, expositio (531–573).

Olympum in Valerii epico carmine aliam speciem praebere quam temporibus Homericis perspicuum est. Ut Graecis libertate fruentibus nec ullo tempore regi servientibus sed libere apud eum loquentibus Olympus παρρησίας tam celebratae erat imago, sic hoc deorum consilium Caesaris satellites humiliter et supplice voce sententiam dicentes aut vana libertatis specie utentes et principem ipsum nihilominus propositum suum urguentem in memoriam revocat.

Sed videamus quid de interventu deorum eorumque sententiis censendum sit. Pessime fecit Valerius, quod Solem, qui solus Argonautis graviter obniti conatur, ante omnes induxit dicentem pro filio, Scythiae rege, quod vereretur, ne Minyae vellus aureum ei eriperent. Sol neque imperii sui ipsius causam dicens neque mundi et rerum rationem habens indignus est, qui in contione deorum Argonautis

---

1) Cf Diod. 4 : 32 : 2 (St. Elmsvuur).

(Valerio auctore) fines humanitatis dilatare ausis officiat. Juno Argonautas tantum adiuvat, quod Iason magna tempestate exorta eam per flumen Enipeum latam in tuto deposuerat. Iunonem autem Pronubam Argonautis favisse, quod iam multo ante spreta esset ab Inoa familia, et heredes Phrixi dignos esse, qui deorum reginae ope vellere aureo potirentur, Valerius non cogitavit. At Mars? num aurea illa praeda tanta erat, quam deus mortalibus invideret? Videsne iam, quam caducum sit palatium, quod Valerius inanibus sed late sonantibus ictibus sibi exstruxerit? In Promethea fabula inerant argumenta gravissimi ponderis, utrum igne, summo illo bono et vitae ipsius fundamento, e coelo deducto et imperio orbis terrarum magna e parte diis ipsis erepto, liceret humano generi arva moliri ferro moribusque inter se uti et legibus an feriarum more rudem vitam trahere pergerent. Neque pro filiolo aliquo, mortali virgine nato, ut Sol apud Valerium Flaccum, sed de summa potestate certabat Juppiter indignabundus. In Iliade ingens decem annorum bellum pro violato hospitii iure susceptum diis et deabus cordi est. Quisque urbium suarum et sacrorum patronus suas ipsius partes agebat ita, ut Iuno matrimonii causam defenderet, Minerva iusti belli pacisque patrona a prudentiae et temperantiae parte staret, Venus Troianis, adulterio obnoxiis faveret. Troia excissa et incendio funditus deleta Iunonis ira nondum exhausta est sed semper Troianis, qui Aenea duce alias sedes petebant, maxime infensa eos per terras et maria sollicitabat impediebatque, quominus populus tanta pertinacia sua et labore victa orbis terrarum imperium adipisceretur, donec fato cedens, multo honore in condenda Latina urbe promisso dolorem deposuit. Tempore igitur, quo omnis religio iacebat, Valerius in fabulam, cuius

argumentum cum simplicitate et sanitate Alexandrinus poeta rectissime tractaverat, deos inducere eo, quo fecit, modo conatus, toto coelo aberravit.

Rerum autem status talis est, ut Iuno et Minerva Argonautis faveant, Mars et Sol iis officiant, quorum dubitationibus spretis Juppiter fatum perfici iussit. Utrum dii Jovis imperio cedant, an fato resistere velint, ne uno quidem verbo Valerius communicat. Quae res maximi momenti omissa poetae imperitiam et vitia prodit. Alios contra deos minorum gentium, tempestate demissa, insidiatos esse Argonautis Iove invito apparebit, cum Sol et Mars, in quos tanta vi invectus est, minis eius deterriti, ne Argonautas ullo malo afficiant, nihil moliri ausi sunt. Quod alii mox Solis et Martis causam defenderunt, Valerius in Argonauticis suis utriusque auctoritati et perpetuitati carminis nocuit. Neque enim nefas fuisset, si Sol et Mars, qui fatum avertere non possent, conati essent Iovem fallere et periculis vexare nautas. Epica enim carmina multa exempla afferunt deos, si fato obsistere nequeant, omnis vires intendere, ut necessitatem differant: qua ratione Apollo, Mars, Venus nihil omittunt, ut Troia quam diutissime maneat, nec Iovis dolorem et iram veriti fortiter urbem adiuvant. Eodem modo Juppiter ipse, quamquam Troiae interitus fixus et immotus manet, Achillis ulciscendi causa sinit Graecos Hectoris impetui undique cedere et magnum in discrimen venire, Venerem Paridem ex ultricibus Menelai manibus servare 1), itemque Aeneam, a Venere adiutum 2), ab Apolline e periculo eripi. Juno quoque ipsa dominum suum et maritum gratiae zona fallere ausa Graecis victoriam conciliavit. In Odyssea legimus Neptunum invicta pertinacia ad finem usque furere in Ulixem misere

1) Il. III : 380. 2) Il. II : 312.

errantem. In Aeneide Iunonis dolos dolis contexere conatae ira in fugitivos Troianos vix destitit.

Imprimis animadvertendum est, Neptunum, cum sua plurimi interfuerit, utrum fines suos intrarent homines necne, in deorum contione tacuisse, quasi eius rationem non haberent alii. Attamen Iason 1 : 194 eum precatur: „o qui spumantia nutu regna quatis terrasque salo complecteris omnes, da veniam" (cf. 214) et 216 „Pallas, nunc patrui nunc flecte minas". Nave autem Argonautarum visa Boreas, ingenti ira incensus, sua sponte nec a Sole vel a Neptuno incitatus (quae fuerit causa cur Boreas navigationem fastidiret, tantum conici potest: credo, quod septentrionales regiones petunt Argonautae.) 1) ad antra Aeolia prope Tyrrhenum mare se confert et Aeolum adhortatur, ut ventos dimittat. Versu quidem 597 legimus „Boream nuntium" advenire sed versibus sequentibus cognoscimus, eum suo nomine loqui (598 vidi, 601 mihi, 602 eram, 605 me, mea). Dicit ingens periculum et nefandum conatum apud Thessalum litus deorum imperio imminere.

At vide iterum in hac digressione, ubi Vergilium quam diligentissime imitatus est noster, magnum discrimen inter Maronem et Flaccum. Iuno hieme terribili Troianos opprimere cupiens Aeolo, magno ventorum domitori, persuadet, ut procellarum vi submersas puppis obruat. Reginae deorum dicto audiens Aeolus cavom conversa cuspide montem impulit in latus et suo iussu Eurum Notumque et Africum ad naves confringendas misit. Apud Valerium autem legimus consilio Boreae, qui a nullo iussus sed sua sponte advenisset, audito

---

1) Sed non tam Boreae iram permovere potest illud iter (quid enim ei officiunt nautae?) quam Solis et Neptuni, qui nihil iam facere audent.

ventos magnopere fremere et aequora poscere. Quorum furorem, ut saepe fieri solebat, non iam comprimere ausus, Aeolus ventos e carcere dimisit. Ut equi, quos adductis habenis auriga retinere non valuit, iugo fracto abruptisque loris hic atque illic caeco impetu ruunt, sic procellae vehementi stridore in mare praecipitant et magnos fluctus ad navem volvunt. Aeolum ventos compescere non posse, novum documentum est, res ad deorum naturam et ad mythologiam pertinentes a Valerio non intelligi. Eos enim proprie esse physicas potestates humanam formam indutas neque minime iis invitis sed nutu eorum vicissitudines in coelo et in mari et in terra fieri, nemo est qui nescit. Multa quidem mutat mythologia fabularum originem non iam curans, sed tota earum natura detorta imperitiae poetam a vera doctrina alienum incusat. Utrum Boreas ipse Aeoli imperio subiectus an sui iuris sit, qualis denique sit, Septentrionalis regionis custos an ventus, de his omnibus poeta nos celat. At utique ipse in navem non corruit, cum in ea parte maris Aegaei venti a Septentrionibus orientes persaepe maximo damno navigia afficiant. Quo tempore Boreae omnibus viribus agendum erat, arcano et miro modo e conspectu abierat. Quamquam autem Valerius Vergilium imitatus est, nihilominus errores nonnulli risum movent: 618

excussi manibus remi conversaque frontem
puppis in oblicum resonos latus accipit ictus,
vela super tremulum subitus volitantia malum
turbo rapit, etc. 618—621.

Valerius nescit, quum arrecto malo et velis passis venti secundi propellant navem, numquam nautas remis uti solere! Vide enim rerum ordinem in Aeneidis 1 : 103: talia iactanti stridens aquilone *procella velum adversa ferit*,

fluctusque ad sidera tollit. *Franguntur remi.* Bene enim fecit: nam etiamsi non omnia facta singula poetae enarranda sunt, non neglexit Vergilius res gravissimi momenti indicare ne vaga et incerta sit descriptio. Lucianus 1) satirico modo suo narrat fuisse historicum, qui affirmaverit se suis oculis vidisse dracones (audiverat enim insignia haec militaria vexillis adstricta esse neque intellexerat, quid significaretur) vivos in hostes coniectos magno terrore percussisse milites, cum ille alter Thucydides pugnam ne pictam quidem viderit. Dubito an noster nave non vectus sit! Confer quoque de inepta Valerii exaggeratione Verg. Aen. 1 : 121 et 122 : „laxis laterum compagibus omnes accipiunt inimicum imbrem rimisque fatiscunt" et Val. Flacc. 637, 638 „cum protinus alnus solvitur et vasto puppis mare sorbet hiatu." Tanta undarum et procellae vi fractos nautas audacis incepti poenitet et (vide miram poetae fictionem, cum Minyae prope litus et mare habitarent, quae iis semper ante oculos versabantur) „non hiemem missosque putant consurgere ventos ignari, sed tale fretum. 2) Tum murmure maesto: hoc erat, inlicitas temerare rudentibus undas, quod nostri timuere patres" 625—628. Talem ignorantiam et imperitiam heroes soli attingere possunt: homo ipse minor minora captat. In quot et quantos errores abducitur poeta, quod mendacio se fefellit Argo fuisse primam navem! At risum movere non desistit noster: quamquam antea nulla magna navis per mare longum iter facere solita erat, nihilominus cognoverant nautae esse rupes Cyaneas et verebantur, ne illico concur-

1) Quo modo sit historia conscribenda (39).

2) Exaggeravit etiam Diodori expositionem, qui dicit homines ante Argo navem tantum lintribus uti solitos esse.

3) Cf lib. I : 60, 198 et 2 : 382.

rerent 3). Hercules solus fortem virum se praebet cf. 634 (magnanimus spectat pharetras et inutile robur Amphitryonides). Nonnullis autem ex Aeneïde sumptis Iasonem melius ducis munere fungentem inducere potuisset Valerius, cf Aen. 1 : 97 ubi exclamat Aeneas: Mene Iliacis campis occumbere non potuisse." Iason tamen nec socios adhortatus neque ipse quidquam ad socios servandos molitus ingentes animos concepit, postquam metus et pericula destiterunt et hiems Neptuni interventu furere quievit. Sacrum amictum 1) indutus et Aesoniam pateram tollens iterum a Diis tranquillum mare et salvum reditum precari ausus est. Quod ad Neptuni interventum pertinet, iterum comparationem inter Vergilii et Valerii expositionem instituemus, quo apparebit hanc quoque Argonauticorum partem magnis vitiis laborare. In Aeneïde Juno, ut ventos emittat, facile persuadet Aeolo, quod regnum ei conciliaverat (65—81). Cum hiems ét naves Troianas ét mare ipsum vexaret, Neptunus magnanima indignatione incensus, quod in suis ipsius finibus potestas spreta esse sibi videretur, caput undis extulit et ventos abire iussit, quo classis afflicta e summo discrimine erepta est. In Valerii Flacci Argonauticis ventos nullius iussu sed suo furore concitatos Neptunus, cuius plurimi intererat, utrum homines mare navigantes imperium tenerent an ipse, blandis Iunonis et Minervae verbis facile permotus ille, qui in deorum contione tacuerat, intercessit, ne prima navis undis obrueretur. Quamquam maxime au-

1) Has externas nugas maximi momenti esse existimat Valerius, cf. ardenti ferro 488. Phineus quoque sine vittis et lauro vaticinari non potest cf. 2 : 548. Quae omnia a veritate naturae aeque longe absunt atque scenicus apparatus, quo aequales nostri utuntur in dramatibus laetis illis, quibus nomen est opera comique.

dacibus nautis infensus est 1), seque consolatur miseris gentibus Argo fata parare, deinde in toto carmine nihil de patiente et timido deo audimus nisi 2 : 436 et 4 : 114. Quid tamen effecerit hiems ét in Vergilii et in Valerii carmine, operae pretium est intelligi ad utriusque poetae ingenium aestimandum. Troiani hieme a Iunone demissa cum reliquis navibus in Carthaginis litora depulsi et comiter accepti vires reficere possunt, quod Dido ingenti in Aeneam amore exarserat. Quae autem a Troianorum duce fato obediente deserta morte sibi conscita praemonet bella, quae Romani cum Carthaginiensibus centum per annos gesserunt: quo modo in Africam oram appulsus cum rebus maximi momenti a populo Romano gestis artissime cohaeret. At Valerius narrat Argonautas tantum maximo terrore affici et navis scissa videtur ipsa ultro refecta esse. Multis ambagibus neque bene neque pulchre usus nihil novi ad rerum seriem evolvendam attulit noster (574—692).

692—851. Filio Peliae furto arrepto 2) culpae conscius Iason (cf. iterum dilucidam comparationem 489—493!) — sed Timor et Minae scandunt eodem quo dominus, neque decedit aerata

---

1) Cf. 645: quotiens mox rapta videbo vela notis plenasque malis clamoribus undas.

2) Minus recte: G. Thilo proleg. XI: quod autem Valerium dixi sic etiam res continuasse, ut omnes inter se aptae colligataeque viderentur, eius rei primum librum quasi testem prodere volo. Concedo perpetuitatem libri primi in Acasti furto et morte parentum bene se habere, sed Iason Acastum non secum abduxit ut obsidem (quod perhibet Thilo) eum retineret sed «ut invenem in casus eademque pericula Acastum abripiat» cf. 153. Laus de hac perpetuitate libri primi nihil fit, cum rerum ordine Iason, dux primaenavis, ipse imprudentiae accusandus sit.

triremi et post equitem sedet atra cura — sero iustam eius iram veretur. Dux igitur anxia mente praesagit, quid in patria a furente rege miseris parentibus et sibi immineat. Pelias dolore sui impos in litore navem evanescentem oculis, quam diutissime potest, frustra persequitur, ut olim Minoia cohors Daedalum alis sublimem se tollentem vidit. Apollonius Rhodius tantum narrat Peliam veritum, ne ab Iasone, aemulo suo, regno expelleretur, maris et peregrinae regionis periculis obiecisse eum omni culpa vacantem. At in Valerii carmine misericordiam movet ille, crudelis quidem tyrannus sed amantissimus pater, qui filio rapto iustas poenas ab Iasone eiusque parentibus sumere decrevit (709—729). Parentum autem mors Argonautarum ducis imprudentiam et inutile facinus aggravat et magna contumelia eum afficit. Scrobe facta et cruore effuso umbra progenitoris Crethei in hortis evocata, ut futura canat, Alcimedae et Aesoni vaticinatur filium eorum Iasonem salvum in patriam rediturum esse, at eos ipsos mox a rege ultionis cupido interfectum iri. Famulorum clamor monet instare mortem misero seni, qui sacra praecipitat, ut solemni ritu peracto Crethei umbra ad Manes redire possit. Quid faciat? Dubitat an ad mortem usque patria virtute se non defendat. Parvum autem filium volens „magnos animos et fortia discere facta" sibi et uxori aequo animo mortem consciscere decernit. Morum et aetatis heroum rationem habenti afferre potest admirationem senem mortem voluntariam pluris quam defensionem sui ultimam aestimare. Valerius autem ante oculos exempla habuit sui temporis, quae ipse laudare videtur. Multi enim, qui aegre ferentes rei publicae instituta obsolevisse et cives Romanos unius imperio subiectos esse, nec verba nec vultus compescere potuerant, coniuratione patefacta et spe reipublicae

liberandae frustrati voluntariam aut sua sponte aut Caesaris nutu mortem sibi consciverant. Imprimis enim patricii (Caecina Paetus anno 42 et Thrasea Paetus 66, Seneca philosophus, Lucanus multique alii) Stoicis praeceptis imbuti et maiorum integritatem recentis temporis degeneratis moribus praeferentes Caesarum regnum evertere conari non numquam ausi erant. In Stoicorum grege Valerium fuisse verisimile videtur. Tantum quidem apparet eum multa derivasse de philosophia 1), quae veram virtutem regnum esse et reipublicae libertatem restituendam esse docens ita consuetudine recepta erat, ut etiam in aula imperatoria Stoicorum placita, dummodo ne usu valerent, Juliorum comites sectatores invenerint. Tota hac narratione temporis sui mores et opiniones illustrat poeta coronam delectandi causa. Aeson multa mala in Peliam precatus, ut membris cara suorum manu direptis sera mors Peliae effugia crudeliter claudat (804), sanguine taurino una cum uxore hausto interiit. Suppliciis, quae Peliae in futurum minatur Aeson, more suo diligentissime descriptis poetam dilataturum fuisse argumentum usque ad crudelis regis mortem concedes, si conferas, quae de Mopsi vaticinio dixi 2).

Odysseae l. XI, horrenda sacrificia, quibus Horatius Canidiam ep. 17 : 6 ludribrio habet, Vergilii Aen. l. VI, Lucani Pharsalia Valerium sine dubio inlexerant, ut fusius Iasonis parentum mortem, quam e Diodoro 3) derivavit, arcano ritu et sacrificiis

1) Animadvertendum est in Valerii carmine Iovem esse inexorabilem Fati a se ipso constituti auctorem et rectorem, et Valerium plebem admodum contemnere cf. 71 populus levis et 761 mutabile vulgus.

2) vide pag. 15.

3) cf. Diod. 4 : 50 : 1 et 2. Narrat Pelian Iasonem coegisse sanguinem taurinum bibere et uxorem, quam Amphinomen nominat, se ipsam heroice gladio interemisse.

auctam, describeret. Animadvertendum est Graecorum sanam mentem necromantia aliisque rebus arcanis plerumque caruisse. Ulixis enim extra Graeciae proprie dictae fines vagati erroribus memoria de illo tradita adiunxit Circes artem magicam. At in regionibus, quarum populi barbaris essent intermixti vel ab Ionica et Dorica gente minus originem traherent, imprimis divinationi illi studere solebant Graeci. Quod factum esse cognovimus in Thessalia et parte Graeciae septentrionali et insulis ubi Kabirorum et Orphica mysteria exstiterunt. Apud Romanos autem, populum religiosissimum, qui omnia, quae ad cultum deorum pertinebant, diligenter observabat, magica ars et arcanus Averni lacus ritus magno in honore fuit. Omnia autem, quae de Medeae veneficiis narrata sunt, longe differunt ab aliis mythis et tot variis Graecis fabulis, sed in Thessalia 1) propriam sedem habere videntur. Hoc Aesonis et Alcimedes magico ritu enarrato, noster ét Thessalica 2) quaedam inseruit ét quae aptissima erant ad Romanas aures mulcendas. Sed in Valerio minus approbo, quod pro suae aetatis ingenio et moribus mortem voluntariam Iasonis parentem praetulisse narravit et quod in maximis Aesonis hortis describendis magnificentiam et luxum 3) villae Romanae suburbanae descripsit, quae a rudi vivendi ratione temporis abhorret, quo prima omnibus necessariis rebus ornata navis maritima nuper profecta erat.

Parvo Aesonis filio a regis satellitibus interfecto, quem

---

1) in Boeotia quoque et Corinthi. cf. adn. 2 pag. 4.

2) Val. Flacc. VI : 447 et 448.

3) Quamquam Valerius in descriptione admodum vagis et incertis indiciis utitur, necesse est intelligamus haec omnia fieri in horto maximo et magnis arboribus adumbrato.

adesse non suspicati sumus, Valerius breviter Tartara commemorat, duasque portas esse, quarum altera populos receptet, altera raro pateat, ut reges et sacerdotes ob praeclara facta in beatorum sedes intrare possint. Animadvertendum est in Valerii carmine (836—840) etiamtum vestigia inveniri Homericae 1) opinionis, quae beatorum sedes regibus et proceribus solis nec privato bene merito aperiat. Vergilii quoque liber sextus hanc Valerii mentem, qua optimatium fautor agnoscitur (cf. pag. 36 adn. ad versum 71 et 761), non mutare potuit celebrans laudibus futuris clarissimas Romanas a Troianis ducibus oriundas familias. At vide frigidum illud 844 seq.

„ubi sol totumque per annum
durat aprica dies thiasique virorum
carminaque et *quorum populis iam nulla cupido.*"

Deliciis beatorum depictis poeta nihilominus monet illud summum bonum supremamque felicitatem moribus et ingenio suae aetatis non concinere, neque igitur suorum civium Manes iam talem gaudendi et aeternam vitam laete agendi rationem quidquam curare posse 2). Boni autem poetae est res ita

---

1) De Homerica expositione, tantum proceribus a diis oriundis favente cf. Mahaffy. Social life in Greece (from Homer to Menander) pag. 10, 26, 27. (The blessed islands of the West were indeed then a home for the dead (cf. Od. 4 : 264 sq.) but they had not yet been opened to moral worth, as in the days of Pindar. They were reserved for those who, like Menelaus, had the good fortune of being nearly related to the gods by marriage or family connections. From this aristocratic heaven therefore even Agamemnon, Achilles and Ajax were excluded, and wandered forlorn in the doleful meadow of asphodel.

2) Fieri quoque potest ut acerbitate quadam Valerius dixerit haec ad mores aequalium, qui illa gaudia non curant, vituperandos sed non epicum fuisset satyricam in aequales invectionem Argonauticis inserere.

narrare ut quae finxerit, vera esse cogitemus, et res divinas tanta religione et pietate commemorare, ut lectori opinionem deorum non debilitet neque plane tollat.

In fine libri primi insunt, quae laudem sed, quum veras causas non attulerit Flaccus, cur dei primae navis itineri officiant, admodum labat in concilio deorum enarrando. Deinde errore primam navem Argo fuisse, commisso poeta procellam plane inutilem et nonnulla, quae inter se pugnant, induxit. Postrema pars, qua Aesonis et Alcimedes mors satis pulchre narratur, Iasonis, cuius culpa haec erat, levitatem et noxam aggravat.

Apollonii Rhodii Argonauticon I: 559—960 et Valerii Flacci Liber Secundus.

In fatis autem erat Iasonem iter pergere debere. Versus autem secundus libr. II „neque enim patrios cognoscere casus Iuno sinit" poeticum quidem sonat sed omnino bono sensu vacat. Homo enim non tam abiectum neque tam vile est ut nihil nisi instrumentum sit divinae voluntatis neque a diis dependet, quid videre et audire ei liceat. Iasonem ope Iunonis medio in mari parentum mortem non cognovisse, Valerius narrat sed naturae leges fixae et immutabiles solae impediverunt, quominus Iason calamitatis certior factus sit: Iunonis cura nihil ad rem pertinuit et falsa fictio est. Multa doctrina usus Valerius montes et urbes, quas praetervecti sunt Argonautae, satis iucunde descripsit sed falsum argumentum de primae navis maritimae itinere Valerium induxit ut terrores primae noctis quam in mari transegerint nautae, pulchra sane comparatione 43—46 instructos caneret. Typhon autem socios confirmans astronomiam alienissimam ab imperitia eorum, qui prima nave vecti sunt, profert (1—71).

In libro primo Valerius Flaccus maximam operam dedit, ne nimis imitari videretur Apollonium, idemque in secundo libro, ubi res in insula Lemno gestas narravit, diligentissime studuit ut, quae Rhodius non huius loci esse existimavisset, longo anfractu commemoraret.

Ut quam luculentissime agam, primo, quae Apollonius narravit, communicabo, deinde, quae Valerius adiunxit vel omisit, exponam. Secundo vento et celeri cursu, nec hiemem neque terrores primae noctis perpessi Argonautae et praetervecti Thessaliae Macedoniaeque litora (Apollonius eodem modo quo Valerius sed brevius locorum nomina recenset I : 568—608) navem in insulam Lemnum appellunt. Nefandum scelus non multo ante Lemniae mulieres ausae erant patrare: ultimas enim poenas a maritis et ab omnibus secus virile sumpserant ira incensae, quod Threissas captivas sibi, uxoribus legitimis, praetulissent. Quod ad deorum interventum pertinet, nihil Apollonius docet nisi Venerem a mulieribus Lemniis longum temporis spatium spretam 1), iustis sacrificiis non acceptis, furore eas inflammasse ut horrendum scelus perpetrarent. Quae omnia satis demonstrant uxores maritos non satis forma et amore obstrictos a se abalienasse. Hypsipyle, filia Thoantis regis clam ab ea servati, regina facta, illae mulieres ad Minervae opera minus aptae sed virilibus animis et studiis imbutae ipsae res publicas agere et agros colere solebant 2), donec eas, ne Thraces appropinquarent, veritas, Argonautarum adventus summo terrore affecit. Quas de salute

---

1) Cf. Versus 614 *ἐπεὶ χόλος αἰνὸς ὄπαζεν Κύπριδος, οὕνεκά μιν γεράων ἐπὶ δηρὸν ἄτισσαν.* Poetico ingenio adductus causam illam fastidium moventem et taetram silentio praeteriit Alexandrinus. cf Schol. in Ap. Rh. 1 : 615 *τῶν δὲ ἄλλων ἱστορούντων, ὅτι κατὰ χόλον τῆς Ἀφροδίτης αἱ Λημνιάδες δύσοσμοι ἐγένοντο, Μυρσίλος ἐν πρώτῳ Λεσβικῶν διαφέρεται καί φησι τὴν Μήδειαν παραπλεόντων διὰ ζηλοτυπίαν βῖψαι εἰς τὴν Λῆμνον φάρμακον καὶ δυσοσμίαν γενέσθαι ταῖς γυναιξίν.* Apollodorus in Bibliotheca 1 : 9 : 17 eandem insulsitatem profert.

2) Cf. Ap. Rhod. 627—631, quae harum mulierum propria non recte omisit Valerius.

desperantes Aithalides ab Iasone nuntius missus ut hospitium petat, mox affirmat, et contione advocata ut, quomodo advenas recipere possint, deliberent, regina mulieres adhortatur, ut pecudem et frumentum praebeant neque tamen nautas urbem intrare sinant: periculum enim esse ne illis hospitio receptis et nefaria re patefacta fama omnes urgeat. At veneranda et grandaeva sacerdos Polyxo monet cives suas, quae minores sint natu, postea virginitate vel viduitate perpetua ad se defendendas prole carentes hostibus et fami obiectum iri: nec enim agros sua sponte fruges ferre neque tauros nullo iubente aratro iungi: at se ipsam iam vetulam mox a iunioribus honore et beneficiis auctam obituram, non suam sed civium causam agere: se igitur suadere, ut bona omnia et urbem ipsam advenis committant seque omni periculi timore liberent. Magno consensu et clamore in eius sententiam decernit contio mulierum, quae non plane virilibus animis imbutae spei amoris et connubii laetae indulgent! Mulierum timorem, prudentem sententiam reginae veritae, ne in dedecus cives suae veniant, Polyxonis utile et iunioribus tam gratum consilium Apollonius vere et iucunde non sine lepore quodam (gaudent enim quod mariti venerunt) descripsit (608—701). 1)

At vide quo modo Valerius res in hac insula gestas narraverit. Alexandrinus poeta Vulcanum, cui insula

---

1) Cf Schol. 1 : 773 ὅτι δὲ ἐμίγησαν οἱ Ἀργοναῦται ταῖς Λημνίαις Ἡρόδωρος ἱστορεῖ ἐν τοῖς Ἀργοναύταις.

Haec Apolloniana digressio egregia simplicitate, decore, venustate eo magis laudanda est, si conferamus quae tragici et comici finxerunt. Inspicias Athen. 10 p. 428: καὶ τὸν Αἰσχύλον ἐγὼ φαίην ἂν τοῦτο διαμαρτάνειν· πρῶτος γὰρ ἐκεῖνος καὶ οὐχ, ὡς ἔνιοί φασιν, Εὐριπίδης παρήγαγε τὴν τῶν μεθυόντων ὄψιν εἰς τραγῳδίαν. ἐν γὰρ τοῖς Καβείροις εἰσάγει τοὺς περὶ τὸν Ἰάσονα μεθύοντας.

Cf. Schol. Apoll. Rhod. 1 : 773 Αἰσχύλος δὲ ἐν Ὑψιπύλῃ ἐν ὅπλοις φησὶν αὐτὰς ἐπελθούσας χειμαζομένοις τοῖς Ἀργοναύταις, μέχρις οὗ ὅρκον ἔλαβον παρ'

Lemnus sacra erat, olim a patre furibundo de summo Olympo deiectum a Sintibus hominibus sanatum esse ne uno quidem verbo commemorat. At recte, nihil nam ad argumentum pertinet. Quam rem in Iliade (1 : 590) suo loco audimus Vulcanum referre matri suadentem ne omnipotenti Iovi resistat: se enim misere audaciae tantae poenas dedisse. Carminis lex et ratio rerum Homerum hoc illustrare coegit, ut bene Iovis summum imperium intelligamus. In Valerii Flacci Argonauticis tantum est doctum additamentum, ut doceat (res longius aequo repetita) Vulcano sacram fuisse insulam et incolas tam aegre Veneris (Vulcani uxoris) cum Marte commissum adulterium tulisse, ut „arae ei semper frigidae steterint". Quae causa 1) fuit ut iam diu ab iis poenas sumere meditaretur. Ecce Dea 2) Lemnios victores redeuntes videt: nam „dux Lemni puppes tenui contexere canna ausus et inducto cratem defendere tergo" (cf: 109) Thraces aggressus erat. Valerius non neglexit animadvertere Lemniorum navigia proprie fuisse rates, ne totum fabulae argumentum Argo fuisse primam navem, ipse redargueret. Venus autem ad Famam, iam impatientem, iam aures erigentem festinat. Conferas, si placet, hunc locum veriori et pulchriori expositioni

---

αὐτῶν ἀποβάντας μίσγεσθαι αὐταῖς. Σοφοκλῆς δὲ ἐν Λημνίαις καὶ μάχην ἰσχυρὰν αὐτὰς συνάψαι φησίν.

Argonautas a mulieribus lascivis coactos esse ad indignos amores, descriptio fastidium movens et taetra!

Rem igitur in satiricum et comicum argumentum ab illustrissimis poetis versam esse facile intelligitur. Comici quoque Aristophanes, Nicochares, Antiphanes et Diphilus Λημνίας scripserunt.

1) Explicatio a Valerio ficta minus idonea est eo, quod mulieres administrae Veneris factae sunt nec sua sponte iam agunt. Valerius minus necessaria adiunxit, omisit quae maxime desideramus, ut apparebit ex sequentibus.

2) Lessing non recte pag. 112 (cap. VIII) hanc Veneris taetram speciem et scelestas partes, quas agit, defendit. De Baccho cf. pag. 113 (cap. IX).

Vergilii Aeneidis IV : 173 seq. et Ovid. Metam. 12 : 24 seq. Famae rationem et naturam ad suum arbitrium ita commutavit poeta, ut simillima sit Bellonae et Furori (II ; 128: praecurrere qualis bella soles, cum mille tubos armataque campis agmina et innumerum flatus confingis equorum); si secundum Apollonii narrationem horrendo Lemniarum sceleri ignoscere non plane possumus, tamen uxores duram servitutem maritis et captivis servientes ad nefarium furorem esse incitatas facile intelligitur. Quod suspicione sola et caeca ira incensae caedem patraverunt, ut Valerius narrat, eo temerario scelere ingens dedecus sibi contrahere mulieres ausae sunt. Ubique Venus faciem Dryopes induta, taetra Furoris imago, Lemniarum mentes inflammat, ipsa adest ut dolos fingat miserasque uxores cohortetur, stipata impia cohorte, Pavore, Discordia, Dolo, Rabie, Leto (204). Versibus 198, 199: „nimbis et luce fragosa prosequitur polus et tonitru pater auget honoro" admodum offendor. Cum dii deaeque irae et dolori indulgeant, Valerium respexisse oportebat semper eos conari fallere Iovem, gravem et venerandum fati interpretem nec eum, quamquam nonnulla humana a se aliena non putet, umquam impia scelera adiuvare. Id autem crimen describendum dirissimis somniis sollicitare poetam solebat (Oh qui me vera canentem sistat et hac nostras exolvat imagine noctes 218), quasi esset alter Lucretius (cf. de rerum natura 1 : 142, IV 965, 70). Multis ambagibus poeta docet quo modo Thoas rex servatus sit pietate filiae suae Hypsipyles. Copiose Bacchicus 1) cultus narratur et pompa, qua

1) An Bacchica coniuncta non fuerint cum fabula de Thoante et Hypsipyle, dubito. Multa supervacua doctrina et mythographorum scriptiunculis

Thoas pro Lyaeo e latebra abductus scaphula in Tauricam Chersonnesum effugere potuerit: factum memorabile singulari audacia cogitanti, quantis terroribus Argonautae prima nocte, quam in alto mari transegerint, affecti sint (Val. II : 300)!

---

et Scholiastae ad Apollon. Rhod. testimonio III : 997: (διαπεπαρθένευται scil. Ariadne δὲ ὑπὸ Διονυσίου κατά τινας, ἐξ ἧς παιδοποιεῖ Οἰνίωνα, Θόαντα, Στάφυλον, Λάτραμυν, Εὐάνθη, Ταυρόπολιν) fretus Stender pag. 40, sine causa statuit in antiquis Lemni fabulis iam Bacchica reperiri, hunc Θόαντα eundem esse ac Hypsipyles patrem affirmans.

Nam ipse monuit pag. 39 alterum filium Hypsipyles et Iasonis, cuius nomen exstat Nebrophonus, posterioris temporis additamentum esse, quo ipse sententiam refellit: Bacchi cultum antiquitus Lemni in honore fuisse. Optime meritum esse Stenderum de Argonautarum expeditione critice explicanda libenter agnosco, sed hoc loco argumenta in ficticiis recentium mythographorum fabulis investigans obscuritate laborat. Grave est vitium Valerium, qui omnia de Thoante servato finxit 2 : 330, ut fontem commemorare ad demonstrandum cultum Bacchicum illis temporibus Lemni vernaculum fuisse. Bacchica enim trieterica Valerius in poetico apparatu instructa et prompta invenire potuit, quae dormientibus auditoribus et subselliis declamaret. Verisimile est Valerium pro antiquis mysteriis Lemni quoque in honorem Kabirorum celebratis Bacchicum cultum posuisse, quo aequales magis delectari possent.

Ne Apollonius quidem Thoantis ut Bacchi filii originem commemorat. In hac quoque fabula mythographi e Valerio rivulum duxerunt cf. Myth. 1 :. 199. Phetoneus autem seu Thyoneus Liberi filius fuit qui in Chio regnavit pater Thoantis regis, cuius filia Hypsipyle.... sola patrem servavit, quem proavus Liber salvavit. Quam detortam et e Valerio partim sumptam adnotationem Stender sumpsit ad demonstrandum Thoantem a Baccho oriundum esse. Veri simile videtur Lemni in insula Bacchica numquam culta esse, nec Apollonius Rhodius ea commemorat, nec argumenta quae Stender profert pag. 40 satisfaciunt sed nomen Thoantis a θέω derivatum multo post mythographorum mendaciis cum Bacchico Θοάζειν coniunctum esse puto.

Valerius videtur primus finxisse Thoantem in Tauricam Chersonesum evasisse, nulla alia causa nisi quod conveniunt nomina patris Hypsipyles et eius, quo regnante Iphigenia in Tauricam Chersonesum translata est. Idem invenitur in Fabulis Hygini C. 15. Cum autem constet hunc Fabularum librum non scriptum esse ab Hygino, Augusti aequali, verisimile esse videtur posteriorem fabularum scriptorem, cui Argonautica exspectatus fons fuerit, hanc narrationem e Valerio hausisse. Suo arbitrio tantum hanc novam rem Valerius inseruit consilio et studio, quod mythographorum proprium est, quo persaepe duae fabulae in unam conlatae sint et mythi simpliciores facti fabularum contrahendarum cupidine. Quo modo videmus fabulas de Medea et Iphigenia adeo a mythographis intermixtas esse ut crediderint Diodorus et Dracontius Medeam et Iphigeniam eandem mulierem fuisse, quae Dianae Tauricae cultum Thebas sive Iolcum transtulerit. Sed nullum locum invenimus ubi Dianae et Iunonis cultus ita fuerint coniuncti ut Iunonis sacerdotem simul Dianae Tauricae sacrificiis perfunctam esse videremus (Stender 33). Nec in Thessalia neque Thebis cognovimus Dianam cultam esse nisi in Boeotiae capite Dianam Eucliam (sed non Tauricam) cf. Paus. IX : 17 : 1 et Plut. in Arist. c. 20. Stender (pag. 34) recte demonstravit Medeam Tauricae Dianae sacerdotem separandam esse a fabula de Iasone, ut postea additam a mythographis, neque Medeam Scythicam eandem esse quam Iphigeniam sed Scythicam pro Colchide positam esse, cum haec fabula in regione nominanda admodum fluctuaverit. Quae omnia fusius pertractavi ut ét proferam de Medea et Iphigenia Taurica Stenderi gravissimas conclusiones ét moneam simplicem et venustam carminis componendi rationem Apollonii, a quo supervacua doctrina aliena est.

Thoas autem „Taurorum locos delubraque saeva Dianae advenit" (Val. 2 : 301), ubi dea eum arae cruentae praefecit. Pergit Valerius: „mora nec terris tibi longa cruentis, iam te ciet altus ab Alba Iuppiter et soli non mitis Aricia regi" (303—305). Orestes enim et Hippolytus imprimis cf. Verg. Aen. 7 : 761, Paus. in Corinthiacis c 27 p. 280, Ov. Fasti 3 : 263, 6 : 731, 15 : 497 dicuntur Dianam Tauricam in Italiam transtulisse. Hippolytus nempe, Thesei filius, dolis novercae a patre pulsus et ab equis consternatis curru deiectus interierat sed ab Aesculapio in vitam revocatus noluit in patris domum redire sed Ariciam emigravit, ubi templum Dianae erexit, in cuius nemore certamina instituit servorum fugitivorum singularia eumque, qui superior discessisset, sacerdotem et regem esse voluit, donec ab alio vinceretur. Diana, cuius templum in Aventino erat, apud plebem praesertim in honore erat. Facile intelligimus Dianam Ariciae, perveterem deam, esse remotissimis temporibus cultam, cum homines diis mactarentur et vis fortioris valeret, eamque nihil commune habere cum Diana Taurica nisi instituta et nomen. Sed perspicio Valerianam rationem! Argonautarum iter scriptor tanti existimavit ut eam totius mercaturae originem fuisse finxerit et ut regioni orbis terrarum dominatrici honori fuerit dea, cuius sacerdos ex insula quadam quo Argonautae navem appulerint, ad eam confugerit!

Re altius iusto repetita post tot innumerabiles ambages tandem Valerius narrare coepit quae post Argonautarum ad Lemnum adventum gesta sint. Denuo magna et multa discrimina inter Valerium et Apollonium invenimus. Omisit Valerius mulierum terrorem (Ap. Rhod. 636), ne nautae Thraces essent insulam classe infesta petentes. Argonautas

„primos pelagus magnos in usus aperire" docuit Flaccus 1: 169 quidem sed Lemniorum „rex puppis tenui contexere canna *ausus* et inducto defendere tergo" profectus erat. Valerius iam magis magisque pressus argumento de primo itinere magna et omnibus necessariis rebus ornata nave suscepto, callide et astute huius loci difficultate evasit! Apud Latinum deinde Lemniae (non iam mulieres, sed viri feroces) pugnandi ardore inflammatae iam arma capiebant „ni Veneris saevas fregisset Mulciber iras". Deest sapiens Polyxonis sententia, quam apud Apollonium legimus: nam quae dicit, nihil est nisi vaticinium inane et vana coniectura 322—325. Statim iuvenca Veneri mactata (primum munus post multa saecula) ad litus conveniunt ut Argonautas accipiant. Iasonem quasi iter facientem ut animum delectet novasque res visat, miratum, quaenam sint fumantia saxa, docuit regina eumque cum sociis magnifica coena reficit. At iterum vide Valerii imperitiam incredibilem et miram. Cum tot versus consumpserit Flaccus ad caedem virorum a mulieribus factam enarrandam, quam Apollonius tantum paucis verbis commemoravit, ne rerum statum in hac insula ignoremus, tamen hoc scelus in Valerii carmine nullum impedimentum affert et mulieres criminis sibi iam ne consciae quidem nec famam veritae laute Argonautas accipiunt. Nec ullo stupore afficiuntur nautae quod totam insulam viris et pueris spoliatam vident. Omnia denique, quae in Apollonio de moribus et animi motibus virginum et mulierum connubii cupientium magno cum lepore enarratis laudavi, in Latino opere admodum desidero. In Vergilii vestigiis haerens assectator noster semper eodem modo sine ulla variatione coenam depingit ratione morum et temporis numquam habita. Ut in Aeneide

imber et tempestas grato sub antro Troianorum ducem et Didonem reginam amore coniungit, sic dura hiems, nutu Iovis et Iunonis coorta, cuius vis et gravitas exaggerata sunt, Iasonem et socios Lemno in insula manere et amori indulgere cogit, donec Tirynthius heros residibus persuadet, ut animis firmatis ingens iterent aequor. Simul ac tempestas serena arridet, Hercule auctore profectionem parari iussit dux. Vere Iasoni exprobrat Hypsipyle eum iter accelerare seque hanc moram coelo tantum et cursum retinentibus undis debere. Attamen ei dono chlamydem dat acu pictam et ornatam variis figuris. 332—427.

Sed videamus quo modo Apollonius Rhodius nautarum in insula moram finxerit. More epico pergit narrare e mulieribus unam missam esse quae Argonautas certiores faceret Hypsipylen reginam in urbem eos invitare. Statim intellexerunt omnes Hypsipylen mortui Thoantis unicam filiam ei successisse. At Iason deae Minervae donum, laenam purpuream fibula subnectit, vario acus opere ornatam „cuius diversis picturis" ornati vestimenti descriptionem variare conatus Valerius Hypsipyles donum acu pictum finxit Val. 2 : 410—418. Splendenti stellae similis, quam super urbe corusco fulgore emicantem videns puella laetatur et desiderat sponsum procul a patria bellantem (Ap. I : 774—781), dux a laetis et mirantibus puellis stipatus ipse oculis in terram defixis, urbem intrat. Hypsipyle genas rubefacta in regia domo eum alloquitur celans caedem, quae commissa erat in viros: noli vereri, ait, intra moenia morari: omnes enim virile secus exclusi sunt, quod uxoribus et liberis genuinis contemptis concubuerunt mulieribus captivis, spuriamque prolem ex iis creatam tantum curaverunt: ego igitur tibi patris regnum traditura sum: haec enim

terra multo fertilior est aliis Aegaei maris insulis. Libenter consentit Iason aliquamdiu in urbe manere sed regium honorem recusat, quod dura certamina ei impedimenta sunt. Qua sententia ingenti gaudio audita mulieres et virgines omnes ad litus descendunt hospitalia dona afferentes, ut arcessant in urbem Argonautas. Non hieme coacti sed amore pellecti tempus terunt, donec Hercules increpans itineris et laboris suscepti viros admonet. Nec Hypsipyle Iasonem retinere vult: nam ex eius ore ipso cognoverat ei magnos labores perficiendos esse. Maerens carissimum maritum valere iubens petit, ut sibi mandatum relinquat, quod perficiat, si Dii sibi concesserint ut pariat. Admiratione et amore iam postremo amplexu eam tenens Iason, pius filius, respondet: si fato non destinatum sit se in patriam reverti, filium adultum Iolcum mittat patri et matri orbitatis solatium 1).

Si comparationem inter Apollonium et Valerium instituimus, statim videmus Alexandrinum hanc digressionem multis venustis et facetis rebus ornavisse, omnia, quae ad mulierum iram et timorem et gaudium pertineant, veritate et grato lepore descripta esse, denique poetam rerum seriem tam plane et dilucide narrasse, ut facile meminerimus talem caedem et connubium tempori propria esse, quo bellis et gentium migrationibus civitates turbatae persaepe spuriam prolem natam viderint adulterio uxorum cum servis aut advenis facto. Valerius autem interventum deorum inanem nimisque exquisitum adhibuit, longam et plane inutilem digressionem de caede mulierum interposuit, quam post Argonautarum adventum Lemniae mulieres ne celare quidem conatae sunt quasi nullo scelere

1) Valerius 1 : 824 alterum quoque filium commemorat ut posterior mythographus semper ornare et augere argumentum solet.

pollutae rempublicam suam minime mutavissent. Omnia deinde, quae Apollonius ad illustrandam indolem nuptarum et virginum connubii gaudio maxime elatarum suo faceto et festivo modo narravit, omisit. Amorem Iasonis et Hypsipyles a Rhodio ita descriptum, ut non tempestas sed utriusque arbitrium connubii vincula obstrinxerit nec Iason (aperte enim professus erat se non diu posse manere magna incepta perfecturum) amantem Hypsipylen misere reliquerit, plane depravavit Valerius Aeneae et Didonis amorem 1) pessime imitatus. Totam hanc moram ad Argonautarum propositum eorumque iter nihil pertinere, neque quidquam novi afferre neque res intricare vel ad finem perducere libenter concedo. Longe enim alia res est hospitium, quod Aeneae Dido Carthaginis nuper conditae regina praebuit: ducis et reginae amore Troiani ét vires post hiemem a Iunone demissam reficere poterant ét bellum Punicum praedicere Vergilius. Sed tam venuste rem suam egit Apollonius, ut haec Lemno in insula mora lectori nihilominus delectationem afferat.

Profectionem Argonautarum vere et pulchre depinxit Apollonius Rhodius: hoc admoneo, quod epico more rectissime saepius tale quid describitur et gratissima Homerica imitatio bene se habet et quod innatum Graecae genti studium navigandi nec bibliothecis Alexandrinis nec poesi ad finem vergente evanescere potuisse videmus. Prospero cursu (Apoll. 1 : 915—922) ad insulam Electrae Atlantidis adveniunt, ubi Orphei consilio initiati sunt ut securi iter perficerent. Hoc loco non possum quin animadvertam, quanta temperantia et quam sano ingenio saepe usus sit ille, cui Alexandrinae

1) Cf. Aen. 4 : 160—172.

doctrinae ostentationem exprobrare plerique solent. Imprimis hoc apparet ex eo, quod rebus in insula Lemno gestis tam venuste et simpliciter narratis mysteria Samothracia obiter commemoravit. Caede a Lemniis uxoribus iam saepius descripta poetae et mythographi nihilominus dubitare solebant utrum Argonautae ad illam insulam appulissent navem necne. Pindarus (Pyth. IV : 255 ed. Christ.) enim Lemnum Argonautas redeuntes venisse finxit, quod Battiadarum origo fuit amor Euphemi et Lemniae civis et aptius ei visum est hoc gravissimum factum in fine odae collocare. Cf. quoque Schol. in Ap. Rhod. 1 : 615. 1) *τῶν δὲ ἄλλων ἱστορούντων ὅτι κατὰ χόλον τῆς Ἀφροδίτης αἱ Λημνιάδες δύσοσμοι ἐγένοντο, Μυρσίλος ἐν πρώτῳ Λεσβιακῶν διαφέρεται καί φησι τὴν Μήδειαν παραπλέουσαν διὰ ζηλοτυπίαν βῖψαι εἰς τὴν Λῆμνον φάρμακον, καὶ δυσοσμίαν γενέσθαι ταῖς γυναιξίν.* Theocritus XIII: 29, qui circiter quinquaginta annis ante Apollonium floruit nihil de ea re commemoravit: *κοίλαν δὲ καθιδρυθέντες ἐς Ἀργὼ Ἑλλάσποντον ἵκοντο Νότῳ τρίτον ἄμαρ ἀέντι.* Diodorus appulsum ad Lemnum omisit, quod Heracles, cuius causa Argonautica inseruit, Lemni nihil memorabile gessit. Aeque Dionysius Mytilenaeus omisit adpulsum ad Lemnum, pro qua insula posuit Samothracen mysteriorum celebrandorum causa, quibus initiatus erat Orpheus 2), qui procella coorta precibus suis Argonautas servaverat. Dionysium, qui c. a. 100 floruerit, hanc rem non finxisse sed Apollinii Rhodii tempore talem fabulam iam exstitisse veri simillimum est reputanti, in quanto honore Orphica mysteria fuerint cultu et vatum carminibus. Samothracia autem mysteria ad tempus usque, quo

1) Mire Stender pag. 35: cum enim e stirpe Iasonis et Hypsipylae insulae reginae is originem duxisset de quo agendum poetae erat... etc.

2) Diodorus hic atque illic nonnulla Orphica narravit 4 : 48 : 5, 6, 7 en 4 : 49 : 8, ut monui.

vixit Macedonum rex, urbis Alexandriae conditor, ubi Apollonius Rhodius bibliothecae custos litterarum studio operam navavit, multum valuisse, docent Plutarchus vita Alex. 2 et Curt. 8 : 3 : 26. Uterque enim est auctor Philippum et Olympiam, Alexandri Magni parentes, initiatos esse. Quam subtilem et ingentem doctrinam Apollonius ostentare potuisset his mysteriis enarrandis, quatenus ei fortasse initiato (919—921) licebat, et musica arte Orphei initiati, quo praesente in procella sint servati, commemoranda 1) facile cognoveris. Quamquam nulla Orphei ope in procella servati et (Val. 1 : 608—650) salvi ad insulam pervenerunt, tamen initiati sunt cautione ne maris periculis premantur! Hoc quoque loco Valerius sibi non constans Apollonii narrationem miris additamentis contortam obscuravit. Pergit narrare Latinus inde ad Sigeia litora venisse Argonautas, ubi Hercules cum Telamone egressus monstrum interemit, cui regia virgo proiecta erat irae Neptuni placandae causa. Nimia exaggeratione magnitudo et vis beluae describitur: re vera est „monstrum ingens" (479). Quae omnia ab Apollonio Rhodio omissa inseruit Valerius Diodorum 2) quidem imitatus sed sibi non conscius Diodorum hanc Argonautarum expeditionem narrare, quod Hercules, cuius facta exponit, eorum socius fuit et Diodorus ob eam causam haec omnia, quae Hercules in Troiade fecit, de Argonautis fabulae adiunxit.

Quamquam turpi Laomedontis fraude Troianos mores pessimos cognoscimus (nam noluit equos promissos filiae servatori

1) Cf. Stender pag. 30, qui docet secundum Dionysium Mytilinaeum magnos Deos Samothraces solere auxilium afferre nautis maris et procellarum vi atque periculis obrutis; deinde suspicatur (31) (O. Müller Orchom. p. 265 et p. 450 qq. collato) Iasonem eundem Deum vel idem numen esse atque Cadmum in mysteriis Samothraciis cultum, nautis potissimum succurrentem.

2) Diod. 1 : 42 : 2 seq.

dare), Valerius nihilominus Romanae gentis originem ausus est in memoriam revocare, studio demonstrandi iam antiquissimis temporibus Troianum populum floruisse nullo scelere neque fato interiturum: cf 573 seq. „Priami sed quis iam vertere regnis fata queat? Manet immotis nox Dorica lustris et genus Aeneadum et Troiae meliores honores". Romanum imperium felix aestimemus, quod de Argonautis fabula quoque ad eum populum pertineat! 1) Iterum maximum discrimen est inter Valerium et Vergilium, qui nostram misericordiam et dignationem infelicis Troianae gentis commovet. Admodum laudandus est Apollonius Rhodius, qui argumento proprio se continet neque Argonautarum iter cuicumque fabulae adiungit, quasi esset alterum poema de Metamorphosibus vel mythographi liber.

Praeterea Valerii liber secundus protrahitur imagine Helles, in Hellesponto nautis oblata (580—614). Deinde in Propontidis descriptione admodum frigidum est illud „reor" 618 (sic pelago pulsante, reor, Neptunia quondam cuspis etc.). Poetam nescire vel dubitare dedecet: omnia cum vi et pondere ei proferenda sunt, ut animis attentis eius sermones captent omnes. Ad quae omnia, iter ab insula Lemno usque ad Cyzici regnum, narranda, Apollonio Rhodio tantum 910—936, Valerio Flacco 428—630 versibus opus est. Sub secundi libri finem Valerius narrat, quo modo Cyzicus nautas comiter coena semper eodem modo descripta accipiat. Risum moveret Cyzicus, quod iis, qui prima maritima nave vehebantur, carchesia ostendit caelata, ubi classem Pelasgorum Cyzici regis igne ardentem videre potuit Iason, nisi Valerius dixisset classem „ratibus" (559) 2)

1) Cf. 2 : 301—305 et quae de Diana dicta sunt pag. 47.

2) Animadvertendum est poetas verbo «ratis» pro «nave» uti solere, quo Valerius obscuritate laborat.

constare. Ubique autem homines navigare terramque florentissimis urbibus opertam esse ipse dixit Valerius: quaero hoc quoque loco, num verisimile sit Argo fuisse primam navem maritimam? Diodorus quidem, quem Valerius in hac re imitatus est, totidem verbis affirmans homines antea ratibus uti solere non offendit lectorem, quod tot urbium (quae sunt ingentis commercii indicium) nominibus omissis breviter et simpliciter de Argonautis fabulam narravit: quae ratio secundum tam remoti et rudis temporis proprietatem est.

At Apollonius alio modo rem tractavit. Statim enim nos docet regi adulescenti uxore nuper domum ducta secundum oraculum quoddam cavendum esse, ne cum peregrinis proelium committat. Diversas navis stationes (argumentum enim, quod numquam Apollonius obliviscitur, est iter maritimum) quomodo nautae mutare soleant, narrat poeta. De via, qualis futura sit, interrogat Iason montemque Dindymum ascendit ut latius regionem circumspiciat. Quam rationem usitatam omnibus, qui in ignota maria iter suscipere audent, non commemoravit Valerius, quamquam finxit Argonautas primos nave maritima usos esse! Apollonius Gigantum, gentis ferocissimae et in ulteriore regionis parte habitantis excidium, quod Valerius omisit, narravit. Ratione temporis, quo maris accolae primi mercatura et pacis artibus eruditi sint moresque leniti, habita intelligimus proelium cum Gigantibus factum unum esse e multis, quod Minyae navigandi studio maria pervagantes aliis in terris cum incultis gentibus commiserint ad viam praeter litora muniendam urbesque condendas. Quae res optime convenit fabulae, quae de coloniis aliquando a Minyis deductis nonnihil in memoriam revocat.

Apollonii Rhodii Argonauticon I : 961 ad finem et liber III Valerii Flacci.

Musis invocatis taetri inter Argonautas et Cyzicenos gesti belli causam coepit exponere Valerius. Deam enim Cybelen offenderat Cyzicus, quod iuvenili ardore inflammatus leonem Deae sacrum iaculo transfixerat. Magna ira graviter commota interitum regis cogitat, donec nova nave visa ulciscendi rationem invenit. Quo modo autem vel qua potestate effecerit dea, ut nautis somno sopitis Argo redire in Cyzici regnum potuerit (3 : 39—42) Valerius tacet. Deum Panem iussa ferentem Mygdoniae matris (47), (non suae matris sed Matris deorum) finxit Latinus. At Pan numquam Gallis Matris deorum clamosae cohorti sed Dionysii satyris et nymphis adiungitur. Deinde minus recte deum hoc loco induxit. Terrore enim, quem inicere ét hostibus ét nymphis ét animalibus solet, efficit Pan, ut caeco angore fugiant omniaque posternant. In memoriam revocare liceat, quas partes Pan in pugna Marathonia egerit, cum subita eius imagine visa Persae praecipites salutem fuga petiverint. Statim intelligimus hoc Valerii loco deum Panem eundem esse ac caecum pugnandi furorem, qui contrarius est terrori, quem inicere solet: versibus 43—46 ipse se refellit poeta. De his omnibus apud Apollonium nihil invenitur et recte quidem. Hanc diram et cruentam pugnam in Fato caeco et hominibus invido inesse, quo saepe perierunt, qui

pietate et prudentia iram deorum evitare suamque felicitatem retinere conati sunt, docet Alexandrinus 1), qui a tragoedis sumptum tragicum terrorem et misericordiam argumento suo inseruit. Iterum Valerius multo plus mythologicis nugis laborat 2) quam Apollonius, qui grata modestia rem exposuit. In tot caedentibus et cadentibus viris longo ordine nominatis (58—249) ita, ut mortes et vulnera nimia exaggeratione narrata cognoscamus, et inter Castoris, Pollucis, Herculis, (iterum comparatione 162—167 eum dignatur Valerius) tot aliorum egregia facta virtus Iasonis ducis plane evanuerit, Apollonius, tantum 31 versibus ad pugnam describendam usus, caedem Cyzici ab Iasone factam melius in lucem profert. Nonnulla laudanda esse in Valerii carmine: miserrimum casum Medonis, qui moriens Herculem agnoscit, nocturnum urbis terrorem, luctum Cyzici uxoris et questus, qui tragoediae 3) monologo similiores sunt quam epicum carmen decet, animadvertere velim. Funera breviter sed vi quadam et pondere ab Apollonio descripta apud Valerium luxuriosiora sunt quam illo saeculo, quod primam navem maria navigantem vidit, exspectari potest. Valerius finxit zephyris vocantibus segni luctu et lacrimis Argonautas in litore tempus trivisse et denique Iasone auctore Mopsi sacrificiis liberatos culpa profectos esse. Quibus descriptis crimen, quod inviti fecerant Argonautae, a poeta plus aequo augeri apparet. Nec se con-

---

1) Cf. Apollonius 1 : 1035: *τὴν (μοῖραν) γὰρ θέμις οὔποτ' ἀλύξαι θνητοῖσιν· πάντῃ δὲ περὶ μέγα πέπταται ἔρκος.*

2) Confer ridiculum Valerii anachronismum 3 : 132: trepidant diro sub limine *puppes*, quum agat de Typhone iam diu a Iove interempto.

3) Auctoritate Vergilii (cf. Aen. IV), tragoediis Senecae, controversiis, quibus admodum studere solebant Romani, explicari potest.

tinere potuit Flaccus, quo minus de Manibus nova et inaudita, quae bono sensu carerent, proferret. Mopsus 377—416 enim Iasonem docet animae particulas esse natura divina et immortali: nefas esse quemquam interficere alterum. Si quis tamen hominem occiderit, animam interfecti, iniuriae acceptae memorem queri apud iudices inferos, qui ad terram, Furia comite addita, reverti ei permittant, ut de interfectore meritas poenas sumat. Si quis vero inscius alteri mortem intulerit, hunc sua ipsius conscientia angi, eundem piaculo dolori posse mederi suo.

Wagner animadvertit „hoc philosophema Argonautarum aetate 1) utique recentius e Platone haustum esse, unde etiam rivulos deduxerit Vergilius Aen. VI : 724—755 et Heynium ad versum imprimis 743 videndum esse, qui et Flaccum laudare non neglexit." Versus Val. Flac. 3 : 378—382 „non si mortalia membra sortitusque breves et parvi tempora fati perpetimur, socius superi quondam ignis Olympi, fas ideo miscere neces ferroque morantes exigere hinc animas redituraque semina coelo" 2) ad Platonis philosophiam spectare, unusquisque videt. Vergilius l. l. perspicue Pythagorae placita de animis post mortem ab aliis in alios transeuntibus amplexus est eorumque igneam originem secundum Platonem exposuit. Sed quae sequuntur post versum 384 seq. Valerii nec cum Pythagorae Platonisque placitis neque cum Vergilii loco laudato quidquam commune habent. Manes 3), quibus ianuam leti patere

---

1) Ut plurima apud Valerium!

2) Pergit Valerius: «quippe nec in ventos nec in ultima solvimur ossa: ira manet duratque dolor,» quibus versibus Lucretium referre conatur.

3) «Omnes suos Manes patimur» Verg. VI : 743. Manes hoc loco non esse Manes nostra manu caesorum sed esse hominum ipsorum indolem,

et quos iterum in terram remeare (385, 386), Furia comite addita, sinit Pluto, proprie eaedem sunt ac Furiae ipsae, a quibus homines sceleris sibi conscii vexantur. Curas autem et timores homines sontes intrinsecus sollicitantes extrinsecus in homines irruere indutos Furiarum formas, sine ullis philosophorum doctrinis iam antiquissimis temporibus excogitaverunt mortales 1). Nova et mira adiunxit Valerius, quod homines, qui sua sponte scelere nefario polluti sint, a Furiis vexari finxit sed eos, qui inviti crimen commiserint quique non insontes sed culpae proxime (399) sint, mente conscia et tantum suis factis carpi 2): discrimen falsum nimisque quaesitum. Omnia enim, quae homines sibi sceleris conscii mente agitant, sunt Furiae ipsae nec ullum discrimen esse potest inter Furias et consciam mentem. Manes autem, quos Valerius pro Diris posuit, nullam ab aliis in alios transitionem faciunt. Secundum Pythagorae, Platonis, Vergilii opiniones de animorum migratione animi non caesorum sed eorum, qui crimen commiserunt, corporeis vinculis soluti oblivionem et quitem post mortem non attingunt sed post longos errores variis in corporibus moratis et ita scelere absolutis tandem ignoscitur. Valerium igitur suo obscuro modo, qui taedio plenus est, nonnullis

---

quae post mortem scelere polluta quiescere nequeat sed post multas transitiones purgetur, docuit Benoit, cuius vide adnotationem in versum 743. Fieri potest, ut Valerius hunc Vergilii locum non bene intellexerit, quo errore haec de Manibus opinio eius nata sit.

1) Conferas fabulas ad Orestem pertinentes.

2) Iram severi sanguinis et Dolorem (partes igitur Manium!) precibus in effigies virorum transire narrat Flaccus versu 445: post tam longam doctrinam, quam (377—416) philosophus noster conatur probare, ridicula et puerilis narratio.

verbis, quae ad aliorum philosophorum placita spectant, usum tantum naravisse, quo modo Manes caesorum placati sint (430—458) contenderim.

Apollonius narrat funereo honore regi habito Argonautas non segni luctu aliquot dies frustra in litore haesisse sed ventos adversos impedimento fuisse, quominus proficiscerentur. Qua frustratione deceptos et sopore obrutos Argonautas postrema noctis vigilia tuebantur Acastus et Mopsus. Ecce Mopsus videt alcedonem, finem ventorum stridula voce vaticinantem, super Iasonis caput volare, quae aversa a dea, super navis aplustri considit. Cum Iasone statim expergefacto rem communicat eumque adhortatus est, ut templum in Dindymo prominente situm ingressus deorum Matrem placaret: cessaturas enim mox esse procellas. Retinaculis deinde postero mane solutis ex Hiera Petra in Thracium portum remigant et monte altissimo escenso circumspiciunt regionem (1112—1117). Apollonium aut in hoc monte ipso gavisum esse hoc visu aut alicubi in summo iugo amoenitate naturae stupuisse apparet, et doleo quod F. Hoffmann 1), ubi demonstrat veteres poetas locorum amoenitatem ét sensisse ét persaepe magna venustate sano suo modo descripsisse, hos Apollonii pulcherrimos versus non commemoravit. Truncum vitis solido excisum, ut esset sacrum deae montanae simulacrum, elaboravit Argus idque signum fagis obumbratum summis statuunt. Ara e parvis lapidibus congestis structa, deorum Matrem, cuius divinam potestatem grandibus verbis depingit Apollonius (1098—1102), et Titian Cylleniumque invocantes et precati, ut ventus adversus cesset, saltationem

1) Sammlung gemeinverständlicher wissenschaftlicher Vorträge herausgegeben von Rud. Virschow und Fr. von Holtzendorff. Heft 69. Der Sinn für Naturschönheiten in alter und neuer Zeit.

armatam iuvenes scuta ensibus pulsantes in deae honorem saltant, ut per aërem evanescat clamor infaustus, quem etiamtum populus ad exsequias regis emittebat 1). Dea placata monstrum ostendit, quod summam deorum Matris potestatem illustrat: arbores fructus fundere uberrimos, circa pedes sponte sua edere terra flores, ferae quoque latibulis relictis blandientes caudis advenire, aqua, qua numquam antea redundabat Dindymum, arido e vertice scatere.

Apollonius igitur laude dignissimus est, qui caedem regis Cyzici caeco et duro fato debitam, et pugnam nocturnam breviter quidem sed cum pondere descripsit, deinde quod Argonautas non inutili luctu spem amisisse sed fortiter, ut decet fortes viros, ingentem dolorem tulisse finxit. Quod Cybelis cultum saltatione armatorum et ostento, quale natura exuberans edere solet, auctum et ornatum inseruit Apollonius, melius rem suam egit quam Valerius, qui sua de Manibus et Furiis nota vel ficta philosophorum subtilibus et implexis placitis obscuravit. Cybelen autem, cuius in Cyzicum ira causa fuit impii proelii nocturni, ne uno quidem verbo postea commemoravit Valerius, quamquam Apollonii, quem maxima parte imitatus est, Argonautica huius deae naturam et cultum copiosius illustrandi occasionem ei praebuerunt. Praeterea lectores, longa caesorum serie evolvenda fatigat Valerius, cum Apollonius tantum 955—957, 988, 1070—1078, 1139 sui temporis studio nugas proferendi narrationi epicae inseruerit.

---

1) Apollonius hoc loco pyrricham suo modo explicat. cf. Mahaffy Greek life and thougt II pag. 241. Mythological stories, explanation of local myths and customs were the chief subjects aimed at by the Alexandrian elegy. Talibus vitiis Apollonius non valde laborat in plurimis partibus optimis carminis.

Iterum argumento Apollonii, cuius expositione naturam huius fabulae optime perspicere possumus, mutato Valerius operi suo maxime nocuit.

Ancora soluta laeti et curis luctuque liberi certamen remigandi instituunt Argonautae (quis desisteret ultimus 1154, adiunxit Apollonius, qui mari vehementibus auris adversis turbato omnes Hercule excepto labore cessare bene descripsit), donec Hercules omnibus viribus obnisus remo fracto supinus cecidit. Conferas, si placet, Apollonii 1168—1171 et Valerii 3 : 476—480 1), ut cognoscas illum res et facta, hunc nomina tantum narrare. In Valerio Flacco praeterea reprehendendum est Herculem ubique primas partes agere (I : 107—120, 263, 634. II : 373, 450 579. III : 161—170). I : 563—573. II : 186—198, Tyndaridae quoque maiore honore quam pro Iasone velim afficiuntur I : 563—573 et II : 186—198. Apud Latinum deest Argonautarum voluntas summi honoris Herculi tradendi, qui recusans, quominus sociorum dux fiat, summum imperium Iasoni concedit. Ut Apollonius plerumque ostendit se huius fabulae originem et naturam optime perspicere, sic hac quoque difficultate, utrum Hercules an Iason dux eligendus esset, sagaci mente soluta Tirynthium heroem imperii honorem a sociis omnibus oblatum recusantem debito honore affecit 2). Sed abhinc in Apollonii Argonauticis videmus Herculem robore corporis quidem in remigando et in proeliis multum valere, eundem in insula Lemno sociis persuadere,

1) Allocutio ad Iphitum una est e multis posteriorum epicorum poetarum insaniis, quasi sint familiares heroum mythologicorum.

2) Tota natura et indoles Herculis, qui solus errare et labores ab Eurystheo iussos perferre solebat, proprie ab hac fabula aliena est, quo intelligimus Herculem posteriorum poetarum additamentum esse.

ut amore desistant sed nusquam eum ante alios celebratum esse. Sed quum tot mythographi argumento detorto Herculem Argonautarum ducem fuisse finxerint, moderatio Apollonii, qui multas Heracleas perlegit, laudanda est. Alexandrinus enim secundum fabulae originem carmen composuit. Mythum enim hunc spectare ad navigationes per maria nondum explorata factas et nihil commune habere cum fabulis de Hercule fictis 1) hoc loco iterandum est. Inter Argonautarum autem iter et Calydoniam venationem analogia haec est: utrumque factum vatum carminibus magis magisque increbuit, quo factum est ut paene omnes heroes celeberrimi mythologici temporis sociorum numero adscripti sint. Sed fieri non potuisset, ut coram Hercule nihil agente Iason in Colchide labores ab Aeete rege mandatos perficeret. Hylas autem iuvenis ab Hercule pro amore dilectus peridoneam herois amovendi occasionem poetae attulit. Antequam inter utrumque poetam comparationem instituam, animadvertendum est quam singulari temperantia et decore pro aetate sua usus sit Apollonius. Ut ignotas et diras vel taetras fabulas multis nominibus ornatas enarrarent, imprimis quae ad adulteria et libidinem pertinebant, aequales potissimum operam navabant 2). Nec Venus ipsa huic turpi studio satisfaciebat. Erota, amasiorum et amatorum patronum, variis elegiis canere solitus erat Phanocles, qui etiam finxit Orphei amasium Calain fuisse et eadem elegia explicavit, quare Thraciae mulieres signis notatae sint et Lesbus arte musica praestet. Callimachus quoque

---

1) Diodorum laboribus Herculis enarrandis adductum esse, ut Argonautarum facta narraret (4 : 40 : 1) iam monui. Quae causa fuit ut eo quoque auctore Hercules sociorum dux fuerit.

2) Cf. narrationes de Daedalo a rege Kokalo vel a Minois filiis interfecto, de Hypermnestra etc.

hoc vitio laboravit (cf. fragm. 107). At Apollonius, qui mores veterum temporum omni luxu carentes tam venusta et apta simplicitate depinxit, Herculis et Hylae amorem eadem epica castitate tractavit, qua Achillis et Patrocli consuetudo turpitudine apud Graecos postea usitata vacat. Auctor est Apollonius nullo Iunonis, deae infensae, interventu Herculem carum suum Hylam, a nympha amore incensa raptum, amisisse 1). Gratam imaginem, quam mutare aut omittere ne Valerius quidem ausus est, praebent 1226—1239. Hercules calamitatis certior factus est, ut narrat Alexandrinus, ab amico Polyphemo, qui Hylam auxilium frustra implorantem audivit. Deinde animo afflicto in silvis vagans veluti taurus, qui asilo ictus fertur nec gregem curat, dolore et ira concitatus, latamque cervicem tollens mugitum edit (1265—1272), una cum amico Polyphemo relictus est misero sociorum errore, qui laeti, quod ventus secundus nocte ortus erat, (cf. 1159 et 1275, 1276) mane in noctis obscuritate, quae negligentiae nautas absolvit, ancoram solverant 2). Conferre enim 1159 et 1275, 1276 operae pretium est, ut mente complectamur Apollonium argumenti ipsius rationem (iter maritimum) numquam negligere

---

1) Apollodorus Apollonii Argonauticis quoque 1 : 9 : 19 de Hercule et Polyphemo, usus est.

2) Inspicias Apollodori Bibliothecam 1 : 9 : 19 : 5, quibus variis modis poetae et scriptores usi sint, ne Hercules primas partes ageret: Ἡρόδωρος δὲ αὐτὸν οὐδὲ τὴν ἀρχὴν φησι πλεῦσαι τότε, ἀλλὰ παρ' Ὀμφάλῃ δουλεύειν. Φερεκύδης δὲ αὐτὸν ἐν Ἀφέταις τῆς Θεσσαλίας ἀπολειφθῆναι λέγει, τῆς Ἀργοῦς φθεγξαμένης, μὴ δύνασθαι φέρειν τὸ τούτου βάρος (cf. quoque Schol. 1 : 1289).

Sunt autem, qui argumentum fabulae nostrae neglexerint. Pergit enim Apollodorus: Δημάρατος δὲ αὐτὸν εἰς Κόλχους πεπλευκότα παρέδωκε. Διονύσιος μὲν γὰρ αὐτὸν καὶ ἡγεμόνα φησὶ τῶν Ἀργοναυτῶν γενέσθαι.

eumque apta et rei accommodata afferre. Ventus enim adversus Herculi optimam occasionem dedit vires iactandi sed ventus secundus nocte ortus, quo frui properant nautae, et noctis umbrae sociorum crimen diminuunt. Mox gravi calamitate sub solis ortum patefacta fortis Telamon Iasoni ipsi obstupefacto convitiatur: ducis ipsius culpa hoc factum esse, qui veritus, ne Hercules omnem gloriam ob salvum reditum et ob vellus receptum in se trahat, socium omnium fortissimum reliquerit, seque Argonautas deserturum esse minatur. Quo minus vertant puppem, impediunt suis viribus iactabundi Boreae filii (postea poenas pro ea audacia daturi) et Glauci vaticinium monentis fato Herculem, qui laboribus regis Eurysthei confectis inter coelicolas versaturus sit, et Polyphemum (cuius casus 1344—1357 narrantur) esse relictos. Quo vaticinio socii de utriusque amici sorte securi nulla contumelia et nullo scelere iter pergere possunt. Quidquid de Glauco fata canente cogitas, concedas necesse est Argonautas eius adhortatione proditionis crimine absolvi.

Hoc Apollonii argumentum (1172—1357) Valerius (3 : 487—740) interventu Iunonis auctum depravavit 1). Non cuiusque

---

1) J. Stender (de Argon. ad Colchos usque expeditione fabulae historia critica) demonstrat (pag. 48) de Hercule Hylaque et de Argonautis fabulas longe ante Pindarum ad Cium sedem habuisse ibique concrevisse.

In Mysia enim, ubi Hercules ab Argonautis relictus est, Ciae coloniae fuerunt. Pindarus secundum Stender, quantum erui potest, primus Herculem inter Argonautas fuisse adfirmavit. Id enim non modo eo, quod ante eum nusquam Hercules additus est Iasonis sociis sed etiam testimonio Scholiastae ad Pyth. IV : 303 demonstratur: *πάντας Σοφοκλῆς ἐν ταῖς Λημνιάσι τῷ δράματι καταλέγει τοὺς εἰς τὸ Ἀργῶιον εἰςελθόντας σκάφος καὶ Αἰσχύλος ἐν Καβείροις. Ὁ δὲ Πίνδαρος συσταλῆναι τὸν Ἡρακλέα τοῖς Ἀργοναύταις φησίν, ὡς δὲ ἐν Μυσίᾳ ἐξῆλθεν ἐφ' ὕδρευμα, κατελείφθη παρὰ τῶν Ἀργοναυτῶν.*

poetae esse Olympum beatosque deos canere sed poetici ingenii et vigoris inopia Homeri et Vergilii sectatores multa, quae et pietate erga deos vacant et iocosa veritate Homerica, finxisse iterum Valerianum carmen docet. Iuno enim, narrat Valerius, inimicissimo sibi heroi in silva caedenti ornum insidiatur. Deorum regina cervum pulcherrimum Hylae venandi cupido offert, qui velocitate puerum fallit eumque ad fontem devium avertit, quem transsilit Hyla pone se relicto. Quem sitim explentem nympha videns, cui Iuno Hylam maritum promisit, gratum sponsum in humidam sedem suam detrahit. Quod Iunonis facinus mirum est nec Valeriano argumento ipsi concinit. Iuno enim et sociam Minervam 1) decipit et Argonautas, quibus singulari studio favet, innoxios fortissimo viro iniuste privat, ut odio in Herculem indulgeat. Iuno quoque crudelis prima quaque luce ventum secundum adsidue movet, ut Hercule relicto Argonautae, qui maerentes neque tamen Herculem petentes tempus terunt, profectionem praecipitent. Typhus tamen impatiens morae nautas cunctantes increpat sed Iason dubius, quid faciat nec quidquam iubere ausus hoc arbitrium penes socios esse dicit. Rixa inter Telamonem et Meleagrum coorta tandem proficisci decernunt, neque certiores facti quaenam futura sit sors Herculis, neque lite inter utrumque heroem composita, quod in Valerii carmine maxime desidero.

---

1) Missam in Colchidem ut inter regem Aeeten, Medeae patrem, et Persen Medeae matrimonii spe destitutum foedus nectat (492—508).

Apollonii Rhodii liber secundus 1—814 et liber quartus Valerii.

Nondum Valerium sibi temperare in fabula de Hercule et Hyla enarranda sinit Apolloniani argumenti dilatandi cupido. Pergit narrare Iovem ira succensum Iunonem graviter increpuisse: sic Iunonem anxiam curis ducem Aesonium fovisse, sic arma viro et socios ministrare! Mirum est quod Iuppiter, quem severum et implacabilem fati arbitrum cognovimus 1 : 531—573, ira in Iunonem commotus minatur se pro Scythia et misero rege Aeete poenas sumpturum esse; praeterea pro Absyrto tam crudeliter interfecto poena futura erat caedes liberorum, quos Iason geniturus erat, a Medea facta. Est alterum hoc documentum Valerium ad illam taetram caedem argumentum protrahere voluisse; vide quae dicta sunt ad 1 : 220—226. At in hac Apollonii et Valerii narratione magnum discrimen est, quod imprimis iis, quae sunt libri quarti initio, apparet. Apollonius enim non aberravit ab argumento sibi proposito et rem ita tractavit, ut Hylae mors et Herculis tristis sors tantum ad Argonautarum iter pertineret neque eo modo, ut illa digressio videretur esse pars Heracleae fabulae. Hercules enim relictus, quae est magna calamitas, eos saepe maximo terrore affecit, labores auxit (cf. Ap. 2 : 146—153) sed necesse erat ut ille amoveretur ita, ut postea Iason solus maximos labores subire seque Medeae amore dignissimum praestare posset. Eadem ratione

Glaucus sortem Herculis et Polyphemi vaticinatus nautas consolatur; quo factum est ut confirmatis animis navigare pergerent omnique Herculis per errorem relicti crimine absoluti sint. At contrarium fecit Valerius. Iam monui Herculem Diodori exemplo minus recte in latino carmine persaepe primas partes agere. Cui a Iove nectareo rore consopito visus est Hylas ab unda se tollere monens se a nympha raptum hunc fontem habitare, sed Herculem nunc a sociis desertum mox caelo adfore. Gratam umbram amplecti conatus mox soporem et vano spem maestam resolvi actu sentit heros miserrimus (cf. 43). Quod Hylas vaticinio Herculem consolatur sed Argonautae etiamtum in incerto haerent de sorte infelicissimi socii, grave documentum est Valerium in carmine suo Herculem, donec in nautarum numero est, Diodori exemplo (cf. Diod. 4 : 40 : 1) multo magis curare quam Argonautas ipsos. In Valerii carmine illa digressio, quoad spectat ad Herculis vitam et labores, teres atque rotunda est sed non satis cohaeret cum Argonautarum itinere. Apollonius argumentum ipsum et perpetuitatem magis curat Valerio, 1—57.

Deinde diutius aequo moramur contione deorum deliberantium utrum Troiae excidium Herculi an potius mandarent Prometheum vinculis et vulture liberandum. Hoc quoque loco Latinus de Hercule digressione male usus doctrinam suam et mythologicarum rerum scientiam magis iactat quam Alexandrinus 58—81.

Deinde Argonautae appellunt navem in regionem Bebrycum (99), quorum rex Amycus legem instituerat cuique peregrino digno, quem necaret, secum luctandum esse. Nec nomina nec regionem unde venerint, interrogans rex fortissimum pugna singulari lacessit. Amycus est filius Neptuni, qui deus

questus omnem prolem morti succumbere fato resistere non audet cf. 128 seq.

> atque ideo neque ego hanc tumidis avertere ventis,
> temptavi tenuive ratem, nec iam mora morti
> hinc erit ulla tuae.

Ut cives libertatem et rempublicam desiderabant, poesis et scripta dolore et tristitia (cf. opera Iuvenalis et Taciti) plena sunt, sic in Olympo dei fato et Iovis imperio subiecti omni pristina alacritate et animi vigore carent.

Uterque poeta bene luctam, quo Amycus Castoris manu cecidit, descripsit tantum variatis comparationibus cf. Ap. 70—74 et Val. 268—271. Theocritus autem iam hanc pugnam in idyllio ad Dioscuros descripserat. Digna, quae inspicias sunt Apollonii 38—44 et 70—89. Amyco occiso incolae cum Argonautis proelium committunt, quo victi incursione Mariandynorum maximum detrimentum accipiunt. Haec quoque digressio spectat ad efferos et barbaros mores incolarum, qui Pontum Euxinum inhospitalem reddere solebant, cf. fabulam de Diana Taurica. Verisimilius quoque incolas feroces, quinquaginta Argonautas aggressos esse quam fuga sparsos esse. Valerius autem induxit Dymantem quendam, cuius amicum Otreum rex interfecit, miro modo (cf. 151—153 et 168) servatum, qui longo sermone advenas crudeles Amyci mores ante Amyci et Castoris pugnam docet, quo factum est ut Valerius, qui proelium Argonautarum et Bebrycum omisit, 254 versus consumpserit ad Apollonii argumentum (2 : 1—163) enarrandum. Quae sequuntur in

---

1) Cf. quoque Apoll. Biblioth. 1 : 9 : 20 : 2.

Valerii carmine Wagner ipse (commentarius perpetuus, 1805), quamquam ubique admodum eum miratur, supervacua et ab argumento aliena iudicat: Ionis res adversas et errores ab Ovidio in Metam 4 : 568—748 festive et pulchre descriptos neque auxit Valerius neque superavit. Incusare velim Flaccum quod bonum exemplum immutare ausus est Ciceronis illud (de orat. 1 : 34) oblitus, ubi Crassus docens illustribus exemplis vertendis vel variandis periculum subesse ne, si quis eisdem verbis uteretur, nihil novi proderet, si aliis, etiam obesset, cum minus idoneis uti consuesceret. Anachronismo duro labitur Valerius, quod vates prima carina vehens miram de Aegypti urbibus et locis scientiam profert.

Apollonius Argonautas, partim colonorum, partim lenes mores et disciplinae libertatisque lucem afferentium partes agentes, in regionem Thyneam navem appulisse versibus 178 seq. narrat. Phineum, Iove invito omnia futura canere ausum, lucis egentem et morte destitutum, Boreae filii Zetes et Calais liberaverunt diris et taetris Harpyiis, qui omnes cibos foedabant et tantum modo reliquum faciebant, quo senectutem miserrimam trahere posset 1).

Alites iuvenes sublimes insecuti sunt aves usque ad insulas, quibus Strophades nomen datum est, quod Iris a Iove missa iuvenes ibi vertere iusserat: quae explicatio admodum Alexandrina est.

Quamquam Valerius Apollonium imitatus non longe ab eo recessit, tamen inveniuntur, quibus ingenia et indoles utri-

---

1) In hoc enarrando Apollodorus ab Ap. Rhod. discrepat. Bibl. 1 : 9 : 21 : 7. Diodorus narrationem longe diversam profert IV : 4 : 43 : 3 et 44 et imprimis 4 : 44 : 5.

usque poetae intelligamus. Quanta enim arte et veritate Apollonius nobis miserrimum et macie confectum senem depinxit (194—208)! Victum Phinei et promptum animum ergo oraculi consultores, dona civium gratorum, benevolentiam et amorem, quibus Phineus et Paraebius se adiuvant, admodum desidero in carmine Valerii, qui saepe longas digressiones ab argumento alienas inseruit. Agnosco illam moram in Thynea regione unàm esse e multis, quibus animos lectorum delectandi causa mythographi et poetae Argonautarum iter adornaverint. Sed Apollonius poetico ingenio tales digressiones in formam certam redigere, status rerum hominumque mores depingere et illustrare solet copia imaginum gratissimarum et comparationum ita, ut epicum carmen Alexandrinum, quamquam multa doctrina et locorum hominumque nominibus laborans, abundet arte et venustate. Longo vaticinio Phineus Argonautas docet regiones, flumina, quae Haemoniis viris praeternaviganda sint: quae materies multo labore et industria multis e scriptis conquisita, ut e scholiastarum adnotationibus videmus, consuetudines illius saeculi et doctrinae ostentationem indicat. Quamquam animadvertendum est Apollonium naturae amoenitatem et situm locorum grato et vario modo descripsisse. De Valerio autem Flacco nihil habeo quod dicam: Apollonium imitatus non laude dignus est, si bona et grata mutuatus est, nec ignoscendum est ei, si recepit quae Apollonii Rhodii bibliothecae praefecti munus et disciplina excusare potest (Val. Flacc. 4 : 421—636, Apol. 2 : 178—536).

Postridie mane Argonautae iterum mare petunt, auctore Apollonio minime pavidi, secundum Valerium resides formidine (626). Phineus enim iis quoque de rupibus Cyaneis

vaticinatus erat. Apollonius 1) narrat Athenam statim a caelo descendisse (quod pulcherrima comparatione illustravit Apollonius 541—548), ut nautas adiuvaret. Res ipsa causa est cur duo poetae enarratione non multum inter se differant. Colymbam autem Phineo auctore ab Euphemo missam ut experirentur utrum transitus pateret necne omisit Valerius, ut versibus quoque Apollonii 533—535 gratissimis latinum carmen careat. Praeterea animadvertendum est Apollonium mare aestuans, undarum fremitum, navem violentis fluctibus huc atque illuc iactatam, nautarum laborem et nisum maiore dicendi vi descripsisse Valerio. Valerius enim in descriptionibus frigido et vago modo utitur, quasi argumentum et res ipsae eum non ardore poetico et studio inflamment. In quibus narrandis recte comparationes non adhibuit Apollonius, qui illum per rupes letiferas transitum tanta veritate depinxit 581, ut facile fingere possimus nos mediis in rebus esse: bene enim cavit hoc loco Alexandrinus, ne comparationibus, quae imagines ab argumento alienas mentibus afferre soleant, lectorum animos a re ipsa avocet. Comparationes adhibere solent epici non tam ad externas res pingendas quam ad qualitates hominum animaliumve illustrandas eorumque vim vel magnitudinem fusius describendam. Bonae enim comparationis est non alteram imaginem lectori proferre, sed demonstrare quos status vel motus habeant res et homines. Ad

---

1) Valerius Iunonem quoque Argonautas iuvare finxit.

Apollodorus Bibl. 1 : 9 : 22 : 5 solam Iunonis opem commemorat, sine dubio quod proprie Iunonis tutela tecti Argonautae iter fecerunt.

Apollodorus (1 : 9 : 22 : 3), tantum mythologicus scriptor, Apollonii Argonautica melius quam Valerius Flaccus poeta secutus est. Nam Apollodorus quoque, grata Apollonii descriptione captus, colymbae mentionem fecit.

mentem igitur pertinet comparatio explicandi causa adhibita. Quae omnia comparatio efficit, aliquid maioris momenti, quod omnibus notum est, in memoriam revocans: venationem, animalium et ferarum propria, temperies coeli, fluminum et maris vim. Quare Apollonius, cum in hac carminis parte descripserit ea, quae alias comparationum materies sint, comparationibus inferioris momenti non usus bene cavit ne descriptio illa minus alte in lectorum animos descenderet quam pro re esset. Suo tamen loco 661—668, ut antea 541—548 pulcherrima comparatione usus est Apollonius.

Valerius deinde Iasonem 703—710 dubium et anxium, Apollonius eum elato animo sociorum mentes tentantem finxit. Idem (2 : 669—720) bene inseruit Argonautis qui e tanto periculo effugerint, Apollinem, lucis deum apparuisse, quod bonum omen salvum reditum praedicere videtur.

Deinde Argonautae praetereunt gentes, litora, promontoria, flumina, quae Phineus vaticinio suo iis enumeraverat. Quae omnia fusius repetita (quamquam deterrent potius lectorem quam alliciunt) minime abhorrent, immo vero concinunt epicae rationi. Cuiusque enim vaticinii est obiter mentionem facere de futuris, quae postea, ubi eveniunt copiosius narrantur.

Quod neglexit Valerius, qui eodem nominum numero usus brevitate sua omisit, quae bona et grata sunt in Apollonii carmine. Quo factum est, ut Valerio auctore Phinei vaticinium longius sit quam itineris ipsius enarratio, quod a bono carmine epico alienum est. Sic regiones et populos, quos Phineus nominibus tantum et nonnullis additamentis brevibus sed pulchris exposuerat, multis morum et situs locorum descriptionibus, plerumque gratissimis, auxit.

Quam sententiam approbant versus 728—745, quibus doctum

et geographicum poetam asperae et horrificae naturae grandem amoenitatem bene sensisse videmus, cum Valerius Flaccus idem tantum uno versu 5 : 73 commemoraverit, nec minus mora in regno Lyci facta, ubi Idmon et Tiphys morte rapti sunt 1), Amazonum 2), Chalybum, Mossynoecorum, insulae Aretiae, Caucasi descriptio, appulsus in Colchidem et situs locorum ipse perspicue et suaviter explicatus. Quae omnia magno labore et studio conquisita poetico Apollonii ingenio et venustate aucta ornataque sunt multis rebus non magni sane momenti sed quibus navis stationes, coeli temperiem, mare 3), ventos, omnia quae ad iter maritimum pertinent, arte quadam grata et copia Homerica descripsit Apollonius. Quamquam non nego haec omnia 4) admodum Alexandrina esse Apollonius ratione, qua ad haec narranda usus est Phinei vaticinio fusius pertractato et amoenitate naturae descripta, maiore laude dignus est quam usu fit.

Attamen non tam ob ea, quae dixi, Apollonius praeferendus est Valerio quam quod in hac regionum enumeratione invenit rationem, qua Argonautas hospitio excipere Aeetes rex ferocissimus obligatus sit. Apollonius enim II : 1030 sq. difficilem Argonautarum appulsum ad insulam Aretiam narrat.

1) Versibus 815—835 Apollonius longe anteferendus est Valerio, qui Idmona quoque morbo obiisse finxit.

Hoc quoque loco Apollodorus Biblioth. 1 : 9 : 23 : 1 bene Apollonium secutus diversa fata duorum Argonautarum narravit.

Successorem Tiphyis Ancaeum Apollonius, Valerius Erginum nominat.

2) Quas nugas dignas quas caneret, Valerius putaverit, apparet V : 136—139!, quae omnia et poetae ingenium et aetatis studium produnt.

3) Inspicias quoque egregios Apollonii versus IV : 922—963 et Apoll. bibl. 1 : 9 : 25 : 2 (de fumo).

4) Apoll. II : 537 ad finem et Valerii IV : 702 ad V : 217.

Quum enim gravi vaticinio Phinei, qui praedixerat ibi salutem et dubiarum rerum remedium nautas esse inventuros, insulae appropinquarent, ecce subito terribiles aves prodierunt quae acutis pennis, quas veluti sagittas in nautas coniciebant, omnes Iasonis socios interfecturae erant, nisi prudenti consilio Amphidamae, qui ipsius oculis viderat Herculem ingenti strepitu sublato Stymphalides aves loco pepulisse, scutis et gladiis concussis Argonautarum pars monstra primo a nave et mox, cum altera pars clipeis protecta ad litus remigavisset, ab insula propulissent. Indicat igitur poeta Argonautas, viros fortissimos, omnia pericula subire audere, ut propositum assequantur. Pulchris comparationibus illud munimentum (1073—1074), strepitum armorum (1077—1079) nautarum tectorum securitatem (1083—1087) illustravit Apollonius. Quae autem salus erat illa a Phineo graviter monstrata? Phrixi filii a Colchide Orchomenum profecti ut patrium thesaurum occuparent, naufragium fecerant prope hanc insulam, ubi Argonautae in eos omnium rerum egenos inciderunt. Quamquam Phrixi filii 1), quibus nomina sunt Cytissorus, Phrontis, Melas, Argus, magnis Iasonis ausis obstupuerunt, nihilominus profitentur se promptos esse ad eius audax inceptum adiuvandum. Quam totam digressionem Valerius alio rerum in Colchide gestarum ordine proposito omisit. Damnum praeterea, quo afflicti erant Argonautae morte Tiphyis et Idmonis, reficiunt sociis quoque olim Herculem secutis sibi adiunctis.

---

1) Cf. Hesiodi fragm. XCI ed. Goettling et Schol. Apoll. II : 1123 τοὺς Φρίξου παῖδας) Ἀκουσίλαος δὲ καὶ Ἡσίοδος ἐν ταῖς μεγάλαις Ἠοίαις φασὶν ἐξ Ἰοφώσσης τῆς Αἰήτου, καὶ οὗτος μέν φησιν αὐτοὺς τέσσαρας Ἄργον, Φρόντιν, Μέλανα, Κυτίσωρον (Κύτωρον Schol. Par.).

Valerii Flacci liber quintus.

Sed satis adhuc de his omnibus et de Argonautarum itinere praeter litora Ponti Euxini. Antequam autem Valerianam rerum gestarum ordinem exponam, animadvertendum est est Valerium, qui aedificium ab Apollonio exstructum caducum effecit et ruinam daturum, in carmine suo libris dividendo tam mira ratione usum esse, quasi libri numerum quendam versuum tantum explere debeant nec factis vel ordine rerum exsistant, unde factum sit ut gravissimis rebus omne pondus adempserit: appulsus in Cyzici regnum et taetra pugna reditu Argonautarum commissa in fine libri secundi et in initio libri tertii posita est 1), digressio ad sortem Herculis enarrandam fine libri tertii abrupta et in duas partes divisa 2), mora in regis Lyci regione 3) in duobus quoque libris narrata est: quae omnia nexum infirmum et vagum reddunt. Vitium quoque est, quod finis libri secundi et libri quarti nimia similitudine laborant. Haec omnia longe superat liber quintus, ubi Argonautarum ne adventus quidem in Colchidem efficere potuit, ut Valerius tot rerum gestarum seriem fine libri concluserit.

---

1) 2—635 ad finem, 3 : 1—458.
2) 3 : 487 ad finem, 4 : 1—82.
3) 4 : 733 ad finem, 5 : 72.

In sequentibus de Valerio solo agam quod multa facta inseruit inter Argonautarum appulsum in Colchidem et nascentem Iasonis et Medeae amorem.

Medio fere in libro quinto sollemni voce musam invocat:

incipe nunc cantus alios, dea, visaque vobis
Thessalici da bella ducis, non mens mihi, non haec
ora satis; ventum ad furias infandaque natae
foedera et horrenda trepidam sub virgine puppem;
impia monstriferis surgunt iam proelia campis.
Ante dolos, ante infidi tamen exequar astus
Soligenae falli meriti meritique relinqui
inde canens.

In his versus 220 „foedera et horrenda trepidam sub virgine puppem" Valerii imperitiam in lucem profert: quonam modo cum favore excipere poterimus amorem puellae, quam statim audimus non innocentem esse neque puram, sed quae horrenda nautas pavore perturbatura sit? Venefica virgo, fratris et liberorum interfectrix, dira Iasonis perfidiae ultrix, quam caede cruentam currus draconibus iunctus in Asiam revecturus est, ante oculos surgit. Non semel sed saepius Valerius futura significans virginem, quam Apollonius finxit scelere liberam neque se ipsam curantem dummodo Phrixi filii et Iason, carum caput, salutem nanciscerentur, contaminavit argumento plano mutato, quod Valerius, hac re quoque ab Apollonio differens, ita amplificaturus erat ut scelera et flagitia Medeae complecteretur. Neque versibus 222—223 „ante infidi tamen exequar astus Soligenae falli meriti meritique relinqui inde canens" excusat filiam, nam (cf. 5 : 490—491) in Iasonem ne hospitem quidem et vellus aureum erepturum regi omnia conari licebat.

Libro III 487—509, ubi Iuno Athenam callide in Colchidem amovet ut Herculem malo afficiat. Valerius breviter significavit, qualis rerum status sit in Aeetae regno. Perses enim a germano expulsus et gravi ira incensus, quod Medea Albano Tyro sponsa erat, vicinis populis ad arma vocatis, urbem oppugnabat. V: 225—259 narrat Valerius Aeeten, quem Phrixus mortuus tueri conatur, monitum esse periculum sibi imminere „rapta soporato fuerint cum vellera luco" et regi cavendum esse ne Medea virgo in regnis paternis maneret, et deinde Aeete Martem precante, anguem a Caucaso lapsum spiris arborem, unde Marti sacratum vellus aureum penderet, implicuisse procul ad Graium orbem respicientem. Quod vaticinium veritus tyrannus, cui non vulgi cura est, recusat quominus vellus exitiale et infaustum in Haemoniam mittat, ut sacerdos eum adhortatur auguriis et monstris minacibus futura coniciens. At Aeetes, Persem, sibi proximum e materno sanguine fratrem, hanc nefariam pertinaciam vituperantem interficere conatur. Perses deinde saucius fugam petit et ingens bellum contra fratrem ciet. Indutiis ad occisos cremandos factis adveniunt Argonautae (259—277). Iunone et summa virgine Iovis consilia intima sociantibus placuit armis Aeetae accedere eumque adiuvare. Minervae veritae ne rex socios Haemonios decipiat, respondit Iuno se contra eum mox alios dolos, alia orsa moturam esse. Vide argumentum contortum et intricatum! Deae, quae ab Argonautarum parte stant, armis inimicissimi Iasoni regis, sua sponte adiunguntur, ne potentissimarum dearum ope Perses de Argonautis victoriam reportet et amorem Medeae in Iasonem supervacuum reddat! Deabus, quas adesse Argonautis antiquitus docet fabula, nihil nisi dolos contexere, fallacia uti, opem Persis spernere finxit Valerius (278-295).

A Minyis metu nox exigitur et praecipue Iason consilii inops variis curis sollicitatur, donec luce exorta se confirmans audax consilium init cum novem sociis in Aeetae urbem ire, ut ignoti tyranni mentem experiatur et, si inexorabilem eum esse cognoverit, vellus vi auferre conetur (296—328). Per noctem Medea variis monstris et diris somniis, quae nimis accurate futura praedicunt iterumque virginem scelestam veneficam et parricidam demonstrant (339 et 340, 348 quoque et 349: talis .... Colchis erat nondum miseros exosa parentes), „iubar ad placabile Phoebi et horrendas lustrantia flumina noctes" it 1). Visis hospitibus perculsam grandaeva Henioche monet homines simillimos Graio Phrixo Graios esse (329—362). Statim Iason a Iunone novo robore et grata iuventute ita, auctus ut socios longe superemineat 2), et Medea pulchra, qualis erat Proserpina nondum a Dite rapta (343—347), uterque stupuit et defixus in visu mutuo haeret. Animadvertas, sine Veneris interventu vel Amoris sagittis primo aspectu Medeae et Iasonis amorem exardere. Iason comiter erubescentem et timidum regiam filiam, quae virgineo metu cunctatur vocem edere, allocutus ab ea monitus est hostem prope urbem esse. Quod colloquium extra urbem mirum est, cum Perses cum tot copiis eam oppugnet. A Iunone caligine tectus famula duce templum intrat ubi rex proceres audit et populi preces (363—406).

Operae pretium est iterum Aeneidem comparare 1 : 411—494 et Valerii Flacci Argonautica. Qui autem Aeneidis locus admo-

---

1) 328 et 330 non conveniunt versui 348 (cur taedas portat sole iam exorto?).

2) Cf. sinistram comparationem 371, 372.

dum argumento Vergiliano concinit. Didonis operarii magno ardore urbem condunt, ubique strepitus, fragor, clamor: nova patria exsuli reginae surgit, templum aedificatum est ubi Troianae gentis praeclara facta in marmore sculpta Ilii aeternam gloriam progenitori populi Romani praedicere videntur. At misericordia in illum patriae orbum et deorum ira per terras vagatum afficimur omnes, quod ille nondum Penates, tanta religione servatos, in altera patria condere potest. Res secundae Didonis Aeneae fato opponuntur. In Solis autem templo describendo Valerius temere sine ullo poetico ingenio Vergilium insulse imitatus minutissimam astronomicam et historicam et mythologicam scientiam profert. Quae ornamenta omnia non concinere Valeriano argumento de itinere primae navis, omnes concedent. Sed quid dicendum de versibus 433—454 ubi omnia providens Mulciber Iasonis et Medeae casus caelaverat? ridicula digressio, qua Iason suam fortunam suis oculis aspicere potuit! 407—455.

Mox prodit Aeetes a proceribus stipatus et Phrixi quattuor filiis (utinam Valerius eos induxisset eadem ratione qua Apollonius!) Rupta nube demissis verbis Iason regi causam adventus sui inopinati exponit et petit ab eo ut sibi vellus aureum det (455—518).

At rex, callidus simulator, gravem iram compescens pollicetur se Iasoni et sociis vellus dono daturum esse, si bello contra Persen se adiuverint. Ingemens et fastidiosus Iason condicionem accipit (542—546):

„ergo nec hic nostris derat labor arduus actis"
excipit Aesonides? „et ceu nihil aequore passis
additus iste dies? veniant super haec quoque fato
bella meo. Non hunc parva mihi caede dolorem
quasque dedit luet ille moras".

Nec condicio ab Aeete proposita minime iniqua erat neque decebat Iasonem inscium astus pugnas tantopere exsecrari cf. 545. Iason Castorem mittit ut Argonautas arcessat, qui de sociorum salute desperantes Castore solo viso exterriti sunt sed laeti audiunt regem ferocem non esse. Prosiliunt iuvenes et animis firmatis experiuntur „si tela artusque sequantur". Quibus visis Aeetes mavult hostem medios penates subiisse quam socios tanta virtute et tanta fortitudine. In digressione, quae sequitur, iterum coena eodem modo quo ceterae descripta est a Valerio, qui multos Aeetae amicos miris armis et vestimentis conspicuos enumerat 558—617.

Ecce Mars videt Argonautas in Colchidem advenisse, et regem ab Iasone exoratum vellus aureum promisisse. Maxima ira incensus interrogat Iovem questu acerbo, quo illud foedus ab Argonautis cum rege initum pertineat: ét Graecos ét Persem sibi inimicos esse (446—557). Argumentum intricatum esse poeta ipse docet.

Iunonem laedere non ausus minacibus iurgiis Minervam increpat: num se fortasse minus valere, quod luco et umbra neque templis colatur? Pergit ad Iovem:

ast ego clara Mycenes
culmina, virgineas praeder si Cecropis arces,
iam coniunx, iam te gemitu lacrimisque tenebit
nata querens. Metuant ergo nec talia poscant,

significat Romam aeternam postea subacturam esse Graeciam. Num Argonautarum iter causa fuit cur Romani legionibus et prudentia Graecia potiti sint? Cum de Troia certamen erit, Mars se ipsum recte consolari poterit, quod Dardana gens tum inferior postea orbem terrarum subactura sit 617—648.

Fremens indignatione surgit Pallas et multa convicia in Mar-

tem ingerens ei crimini dat, quod matrem Argonautis faventem offendit. Qua causa a Graecorum parte stet aut quo iure vellus sociis vindicet, non exponit Minerva, dum Perses, deae invisus, quem Mars ipse, cui vellus sacrum est, adiuturus est, sacerdote auctore Aeeten hortatus est ut fatale vellus Graecis dono daret. Mirum quoque est quod Minerva belli causam Marti exprobrat, cum nullo deorum interventu Perses in exilium eiectus bellum moverit.

Precatur deinde Iovem Minerva, 666 seq.:

da vellera, rector,
et medio nos cerne mari. Quod sin ea Mavors
abnegat et solus nostris sudoribus 1) obstat,
ibimus indecores frustraque tot aequora vectae?

At Iuppiter intercedit et magna vi deposcit ne Perses devincatur neque vana retentet spes Minyas finemve velint imponere bello: in fatis enim esse Aeeten a Perse victum Medeam e Graecia redeuntem in regnum restituturam esse. De hac deorum concione animadvertere velim Solem patrem Aeetem, qui in tantum discrimen venturus sit, non iam defendere. In Valerii carmine coelicolae proprie umbrae et manes priscae dignitatis, sine ullo vigore et auctoritate, ne suas quidem causas defendere valent, ut Neptunus in libro primo et Sol in hac concione: fato et Iovis arbitrio subiectis nihil divini neque humani superest nisi ira et fallacia.

In hoc igitur quinto libro Valerius partem itineris, appulsum in Colchidem, primum Iasonis et Medeae concursum,

---

1) Insulsa imitatio Iliadis 2 : 388—390.

ἱδρώσει μέν τευ τελαμὼν ἀμφὶ στήθεσσιν
ἀσπίδος ἀμφιβρότης, περὶ δ' ἔγχεϊ χεῖρα καμεῖται
ἱδρώσει δέ τευ ἵππος ἐΰξοον ἅρμα τιταίνων.

adventum sociorum in urbem, Iasonem frustra vellus a rege petentem, deorum contionem sine ullo nexu descripsit argumento contorto et tam intricato ut Argonautae stent a parte regis, qui eos fraudari vult, starent contra Persem, qui vellus iis reddere voluisset.

C. Valerii Flacci Argonauticon liber Sextus.

Mars primo dubius, quas acies, quae castra sequatur pugnam praecipitat, ubi audivit Persem legatos missurum esse, qui Argonautas suae voluntatis et fraudis tyranni moneant.

Versibus 33 seq:

Hinc age Rhipaeo quos videris orbe furores,
Musa mone: quanto Scythiam molimine Perses
concierit, quis fretus equis per bella virisque.

Valerius iterum aperuit, quas res imprimis dignas, quas caneret, censeret. Omnia armorum, vestimentorum, vulnerum genera, pugnas et caedes variatas descripsit, dum armamentarium epicum vacuefacit. Liber sextus potius rhetorica exercitatio est ad horrenda bella canenda, quam dignus qui publici iuris fiat. Verisimile esse mihi videtur, Valerium hoc proelium inseruisse ut posterior carminis pars Aeneidi similis esset, qua Vergilius bella ab Aenea cum Italicis populis gesta, cecinit.

Vae tempori, quod tale quid laudavit, vae poetae, qui talis studii aequalium suorum fautor esse voluit! Num quidquam ad huius epici carminis argumentum ipsum pertinet? Si Perses Aeetae copias et Argonautas profligasset, Iasonis socii aut interempti vellus aureum in Graeciam reducere non potuissent aut Perses sua sponte cedens et donum offerens amorem Medeae et Iasonis irritum reddidisset. Proelium autem aequo Marte commissum longum et inutile additamentum est.

Ne epica quidem ratione Valerius usus est in hoc libro, ubi induxit viros ignotos pugnantes in hostes, quorum nomina sola audivimus, neque duces pugnas singulares fecisse finxit, quod tamen epicum esset et virtutes eorum et postulata iusta vel aliqua auctoritate praedita ostendisset. Quamquam Juppiter severe vetuit Persen proelio devinci, post prima conamina Martis nullum deorum interventum legimus, ut duces pugnandi ardore inflammati nimium impetum regant vel cohibeant. Sua sponte non divina ope pugnantes Iovis iussis obsequuntur! 1—426.

Iuno, regina deorum, videns hanc non esse iustam viam, qua Iason vellus aureum adipiscatur „extremam molitur opem, funesta priusquam consilia ac saevas aperit rex perfidus iras." Iuno ante diem magnos Iasonis labores providens in Medea, qua nulla potentior est nocturnis aris, omnem spem et sociorum salutem ponit. Mirum est quod poeta dicit virginitate Medeam tremendam esse (449 seq).

ergo opibus magicis et virginitate tremendam
Iuno duci sociam coniungere quaerit Achivo,

cum V : 257 audiverimus, plena necdum Medeam iuventa adnui thalamis Albani virginem tyranni. At Iuno secum dicit: „Quid si caecus amor saevusque accesserit ignis?" et se confert ad Venerem. Quae Iunone visa prosilit altis toris volucrumque exercitus Amorum. De vera causa Venerem celans ab ea petit 465 seq. „artificis blanda adspiramina formae ornatusque (tuos) terra caeloque potentes."

Venus dolos sentit iam pridem spectans interitum Aeetae, filii Solis, qui adulterium suum cum Marte aperuit. At Iuno cingulis acceptis laeta formam Chalciopes Medeae sororis induta virginem infelicem et nesciam mali adoritur (492—494).

lilia per vernos lucens velut alba colores
praecipue, quis vita brevis totusque parumper
floret honor fuscis et iam notus imminet alis.

Non iam attento et alacri animo possumus observare amorem virginis primo nascentem, deinde omnia tentantem diris et sinistris poetae ipsius vaticiniis adumbratum. (cf. 4 : 13, 5 : 335—340 en 220, 5 : 586 et 606.) 426—506.

Iuno nihil nisi dolis et astutia usa, puellam secum ducit in moenia, ubi Medea residens, dum varia belli certamina aspicit, acres oculos et omnes sensus faventemque animum in Iasonem refert, cuius virtus inter omnes emicat quemque servari Medeae pluris interest quam fratrem Absyrtum vel pactum coniugem. Virgo amore iam perculsa magis incitatur callido alloquio Iunonis monentis de reditu Iasonis in patriam, ita, ut tota in illo quam maxime fruatur visu herois audacis et „in ommes partis furentis" cf. 613 seq.

stabulis qualis leo saevit opimis
luxurians spargitque famem mutatque cruores (575—620).

Plurima Iasonis egregrie facta contemplata virgo iam minus castigat pro herois salute metus et „quas alit inscia curas": dubitat an non sit illa soror nec audet credere vultus esse falsos et rursus in eadem gaudia labitur. Tum monilia divae erepta et manu contrectata collo virgo aptat, quibus mox ingenti amore incenditur. Sed Iuno rogantem num pater vellus promissum hospiti, qui tantis periculis se obiciat, daturus sit, medio in sermone relinquit voti compos. Quam digressionem laudare non possum. Non verisimile est et humanae naturae impugnat virginem amore in virum ante oculos pugnentem captam monilia et ornamenta muliebria curare. Quaerendum praeterea est, quare regina deorum his nefariis dolis

usa sit, cum Medea primo Iasonis visu stupefacta amore exarserit. Eo accedit quod Iuno colloquiis et de reditu Iasonis in patriam monendo gliscentem virginis amorem nimis adiuvat ita ut Medea non tam libero arbitrio et sua sponte Iasonis salutem curet, quam dea virgine ministra et instrumento voluntatis ad dolos suos et fraudem perpetrandam utatur. 657—680.

Deinde sublatam sororem non secuta plane amori indulget et sibi videtur pulsari saxis et hastis, quae in Aesoniden, frustra tamen, coniciuntur (681—689), donec Perses cladem suorum et terga versa (726) videns iubet milites pugna desistere, multa questus se superorum monitis hoc proelium inane imperasse neque Graeca auxilia a sua parte stetisse. Orat quoque ut videat diem 734,

„qui fallat Achivos
sic meritos, quoque hunc videat virtute superbum
Aesonidem tantos flentem sine honore labores."

Persen in mediam pugnam se coniecturum cohibet Minerva, memor Iovis iussi eumque caligine tectum amovet. At liber sextus sic terminatur:

Nox simul astriferas profert optabilis umbras;
et cadit extemplo belli fragor, aegraque muris
digreditur longum virgo perpessa timorem,
ut fera Nyctelii paulum per sacra resistunt,
mox rapuere deum iam iam in quodcumque paratae
Thyiades, haut alio remeat Medea tumultu,
adque inter Graiumque acies patriasque phalangas
semper inexpletis adgnoscit Iasona curis
armaque quique cava superest de casside vultum.

Apollonii Rhodii liber tertius.

Rationem Valerianam in superioribus exposui, quae ad utrumque poetam iudicandum non omittenda mihi erat putanti me supervacuas et ingratas res quoque proferre debere, ne iis, quae minus pulchra vel apta essent, neglectis iniquum iudicium ferre videremur. Ut iam monui, Apollonius in libro I et II excellit simplici argumento, gratis et minutis descriptionibus, digressionibus teretibus et rotundis, narratione et veritate epica. Et admodum miror quod neque Couat 1) neque Mahaffy 2) haec Apollonii merita in libris prioribus laudaverunt. Nunc autem agendum est de libro tertio, quo praeclariores non multae epicorum carminum partes exsistunt.

Tertium librum recte incipit Apollonius sollemni ore Eratone carminis amatorii musa invocata. Narrat deinde Heram et Athenam deliberantes, quomodo Argonautas servare possint, oculis in solo defixis omnia secum reputare animis suspensas et Heram consilium cepisse adeundi Venerem. Ad quam progressae repperiunt deam sedentem domi tornato in solio ex adverso forium et comas humeris inmissas aureo pectine comantem. Illas vero conspicata de solio exsilit et impexos

---

1) La Poésie Alexandrine.

2) Greek life and thougt, from the age of Alexandre to the roman conquest.

manibus religat crines (36—52). Egregrie et magno lepore 1) Apollonius finxit colloquium, quo Venus nequitiam queritur lascivi filii, qui matris auctoritatem parvi faciat eique minari nonnumquam audeat (90—100) et deae irridentes eam consolari conantur:

καὶ μή τι χαλέπτεο, μὴ δ' ἐρίδαινε
χωομένη σῷ παιδί· μεταλλήξει γὰρ ὀπίσσω.

Pulcherrimam digressionem inseruit Apollonius (dignam Hispaniensi pictore Murillo) ubi legimus Erotem et Ganymedem talis ludentes 119 seq.:

καὶ ῥ' ὁ μὲν ἤδη πάμπαν ἐνίπλεον ᾧ ὑπὸ μαζῷ
μάργος Ἔρως λαίης ὑποίσχανε χειρὸς ἀγοστὸν,
ὀρθὸς ἐφεστηώς· γλυκερὸν δὲ οἱ ἀμφὶ παρειὰς
χροιῇ θάλλεν ἔρευθος. ὁ δ' ἐγγύθεν ὀκλαδὸν ἧστο
σῖγα κατηφιόων· δοιὼ δ' ἔχεν, ἄλλον ἔτ' αὖτως
ἄλλῳ ἐπιπροιεὶς, κεχόλωτο δὲ καγχαλόωντι
καὶ μὴν τούς γε παρᾶσσον ἐπὶ προτέροισιν ὀλέσσας
βῇ κενεῇς σὺν χερσὶν ἀμήχανος, οὐδ' ἐνόησεν
Κύπριν ἐπιπλομένην.

Nequam et lascivus puer a matre rogatus Medeam Aeetae filiam sagitta percussam amore replere vult quidem, sed antea sphaeram auream poscit a matre, quae iureiurando petulanti filio pollicetur se daturam esse ei donum optabile postquam munere functus sit.

Quae sequuntur, digna quoque sunt, quae memorem (154)

---

1) Mirum est quod Couat dixit p. 306. Leur longue entrevue du troisième chant, où la passion se dissimule sous les dehors de la politesse et du savoir-vivre (?) ressemble bien peu aux délibérations tumultueuses des dieux de l'Iliade.

Φῆ· ὃ δ' ἂρ ἀστραγάλους συναμήσατο, καδ δὲ φαεινῷ
μητρὸς ἑῆς εὖ πάντας ἀριθμήσας βάλε κόλπῳ,
αὐτίκα δ' ἰοδόκην χρυσέῃ περικάτθετο μίτρῃ
πρέμνῳ κεκλιμένην· ἀνα δ' ἀγκύλον εἵλετο τόξον.

Deinde ad terram descendit. Despectum in terram frugiferam et urbes hominum, fluviorum sacros meatus, cacumina montium, pontum late patentem gratissimis verbis descripsit poeta (160—166) 1). Quod ad hunc dearum interventum pertinet, animadvertere velim Apollonium nisi perraro coelicolarum mentionem facere. In libro primo Apollinem 2) hic atque illic induxit 302, 352, 359, 411, comparationibus 306, 530, Dianam 571, dum Heram et Athenam rarius commemorat. Ptolemaei autem, ut Graeciam ad suas partes redigerent, θεωρίας in insulam Delum, Apollini sacram, mittere solebant, quo fieri potuit ut Apollonius eum saepe nominaverit. Praeterea in Argonautarum fabula magnas partes agit Sol. Et Hera, Pelasgica dea, antiquitus fuit patrona Argonautarum cf. Odyss 4 : 71, quod ex hac parte Apolloniani carminis quoque apparet. Apollonii simplex et modestum argumentum minus aptum erat ad deos persaepe inducendos. Quare recte fecit iis, ubi non desiderantur, omissis et laudandus est, quod contiones deorum tumultuosas nudo et simplici argumento non inseruit.

Ab Homero mutuatus est quae Argonauticae fabulae concinunt neque quidquam humani diis et deabus deest, et tanto lepore et veritate descriptio excellit, ut dii in carmine Apolloniano

---

1) De despectu pulchre descripto cf. 1 : 1112—1116.

2) Stender pag. 33 demonstrat Dianam in Thessalia non cultam esse, quo mihi verisimile videtur nostrum suo arbitrio induxisse Apollinem.

non aulici 1) homines sint sed eadem veritate utantur et simplicitate agendi, qua dii Homerici. In epicis carminibus optimis dii nihil humani a se alienum putantes ita, ut sint altera hominum civitas per omnia saecula lectorum animos captare potuerunt (excepto fortasse libro XXI Iliadis).

Ab Hera caligine tecti Iason et socii, Phrixi filii, in urbem et regiam domum clam perveniunt. Exceptis 222—225, qui miraculosa opera docent, descriptio aedium evidens est neque ornatior quam pro remoto tempore. Medea Phrixi filios visos laeto clamore salutat.

Quae sequuntur, tumultus necopinato Phrixi prolis adventu in aedibus factus, gaudium matris, quam periculosum iter filiorum nocte dieque vexavit, curatio qua fessos refecerunt, coena paranda tam praeclare descripta sunt ut ipsis verbis 253—275 laudarem nisi mox alia copiose enarranda essent. Nunc Amori occasio idonea est ut matri promissa solvat. Hoc quoque loco parvulum deum, plerumque lascivo puero simillimum, dexterum et agilem cognoscimus. Callide sub postem in vestibulo arcum intendens e pharetra sagittam nondum emissam depromit, quam limen clam transgressus sub Iasone ipso convolutus, inmisit Medeae: τὴν δ' ἀμφασίη λάβε θυμόν. Amor ales et sagittarius, qui cor vulneratum amore afficit, Alexandrinae artis poeticae proprius est, ut saepe in pseudo-

---

1) Mirum Couat 306. Elles (les Déesses) n'ont pas été élevées dans l'Olympe des premiers temps, mais à la cours d'un Ptolemée.

Melius est raro inducere deos quam deum vaticinantem amores Cleobis in pudicum Antheum, quod fecit Alexander Aetolus: quae poesis praeterea docta et minuta in parvis rebus et quaesita iisdem vitiis laborat, propter quae poesis Alexandrina infamia aspersa est. Couat 105—110. Mahaffy pag. 243.

Anacronteis invenitur 1). Quia autem amoris initium hac imagine indicaverunt poetae, multis in eroticis poematibus describere solebant tantum quae erant externa. Quo factum est ut sensus amantium et sollicitatae mentes, amor gliscens, omnia quae ad animum amore turbatum, pertineant, non tam memorentur quam oris livor, crines passi, forma et pulchritudo 2). Talem autem nec Apollonius Medeam suam finxit neque Didonem Vergilius (cuius auctorem in libro quarto Apollonium fuisse docet Mahaffy pag. 272).

Mentem virginis turbatae et oculos semper in Iasonem detorquentem, amori gliscenti succumbentem, faceta et grata veritate descripsit 286—299,

(Erotis) βέλος δ'ἐνεδαίετο κούρῃ
νέρθεν ὑπὸ κραδίῃ, φλογὶ εἴκελον· ἀντία δ'αἰεὶ
βάλλεν ὑπ' Αἰσονίδην ἀμαρύγματα, καί οἱ ἄηντο
στηθέων ἐκ πυκιναὶ καμάτῳ φρένες, οὐ δέ τιν'ἄλλην
μνῆστιν ἔχεν, γλυκερῇ δὲ κατείβετο θυμὸν ἀνίῃ.
ὡς δὲ γυνὴ μαλερῷ περι κάρφεα χεύατο δαλῷ
χερνῆτις, τῇπερ ταλασήια ἔργα μέμηλεν,
ὥς κεν ὑπωρόφιον νύκτωρ σέλας ἐντύναιτο,
πάγχυ μάλ'ἐγρομένη· τὸ δ'ἀθέσφατον ἐξ ὀλίγοιο

1) Cf. Mahaffy. Gr. life and thought 255.

2) Ut Callimachus Apollonii adversarius fecit in maxima digressione carminis, cui nomen Αἴτια inscriptum est, ubi de amore Acontii et Cydippes agit. Couat pag 151.

Apud Apollonium nulla vestigia falsi et ficti amoris inveniuntur, quem Mahaffy 239 dilucide descripsit: dishevelled hair, blackness under the eyes, disordered dress, a desire for solitude, and the habit of writing the girl's name in every tree — symptoms, which are perhaps now regarded as natural, and which many romantic persons have no doubt imitated because they

δαλοῦ ἀνεγρόμενον συν κάρφεα πάντ' ἀμαθύνει·
τοῖος ὑπο κραδίῃ εἰλυμένος αἴθετο λάθρη
οὖλος ἔρως· ἀπαλὰς δὲ μετετρωπᾶτο παρειὰς
ἐς χλόον, ἄλλοτ' ἔρευθος, ἀκηδείῃσι νόοιο.

Post coenam, ubi fessi heroes vires cibo et vino refecerunt, rex Argum Phrixi filium interrogat, quaenam causa sit necopinati reditus et quos hospites secum adduxerint (303—316). Magna prudentia usus respondet Argus regemque docet Argonautarum propositum (337—317), quibus auditis rex graviter affectus erumpit: statim cum dolis discedant ab oculis; eos non vellus sed sceptrum et regium honorem petere, mereri igitur languis exsectis manibusque amputatis remitti pedibus solis, se tamen hospitii iniuriis afuturum 367—382.

Regem magna ira incensum esse neque animo suo imperare potuisse magis virtuti et feroci potentissimi regis, a quo Iasonis et sociorum salus penderet, ingenio concinit, quam Valerii expositio narrantis (5 : 534—541) eum statim iram devorantem miti animo simulato dolos finxisse.

Aeaciden acriter responsurum interpellat Iason et respondet: se non sua sponte per tot maria ac pericula iter fecisse ad auferenda bona aliena sed deum et crudelem tyrannum se compulisse: se autem paratum esse si rex sibi hoc beneficium dederit, eum adiuvare ad populum Sauromatarum subigendum sive aliam gentem inimicam. Sed rex dubius utrum eos ilico interficiat an periculum faciat virium, Iasoni duros labores (boves aratro iungendos, dentes serendos unde viri armati

---

found them in litterature, and thougt them the spontaneous expression of the grief of love, while they were really the artificial invention of Callimachus and his school, who thus fathered them upon human nature.

sint orituri) imponit, pollicitus se ei hanc fortunam tentare auso vellus daturum esse. Ad quae Iason magno animo respondet se hunc laborem esse sustenturum vel si mors sibi fatalis sit (367—432). Magnum sane discrimen inter Apollonianum Iasonem non heroicum quidem sed recte dubitantem, num laborem suscipiat et Valerianum illum pugnas exsecrantem, cum a rege animum mitem simulante aequas, ut videbatur, condiciones audivisset. Iussu regis Iason, quem Medea amore perculsa oculis prosequitur, et amici ad socios decedunt, cf. 444 seq:

ἐπ' αὐτῷ δ' ὄμματα κούρη
λοξὰ παρα λιπαρὴν σχομένη θηεῖτο καλύπτρην,
κῆρ ἄχεϊ σμύχουσα· νόος δέ οἱ ἠύτ' ὄνειρος
ἑρπύζων πεπότητο μετ' ἴχνια νισσομένοιο,

Chalciope quoque Aeetae iram vehementem verita cum filiis egressa est et simul Medea, cui semper ante oculos versatur Iason, qualis sit et quibus vestibus indutus, quae dixerit. Haec omnia et habitum eius sive sedentis sive euntis recordatur, et verita ne misere pereat suspirat, cf. 460 seq.

ὀδύρετο δ' ἠύτε πάμπαν
ἤδη τεθνειῶτα, τέρεν δέ οἱ ἀμφὶ παρειὰς
δάκρυον αἰνοτάτῳ ἐλέῳ ῥέε κηδοσύνῃσιν.
ἦκα δὲ μυρομένη λιγέως ἀνενείκατο μῦθον
„τίπτ' ἐμὲ δειλαίην τόδ' ἔχει ἄχος; εἴθ' ὄγε πάντων
φθίσεται ἡρώων προφερέστατος, εἴτε χερείων,
ἐρρέτω. ἦ μὲν ὄφελλεν ἀκήριος ἐξαλέασθαι.
ναὶ δὴ τοῦτόγε, πότνα θεὰ Περσηί, πέλοιτο,
οἴκαδε νοστήσειε φυγὼν μόρον, εἰ δέ μιν αἶσα
δμηθῆναι ὑπὸ βουσί, τόδε προπάροιθε δαείη,
οὕνεκεν οὔ οἱ ἔγωγε κακῇ ἐπαγαίομαι ἄτῃ.

Iam amore orto dulce venenum puella venis bibit et magis magisque aestuat, non suam sed Iasonis sortem curans 432—470.

Redeuntem ad socios Iasonem Argus adhortatur Chalciopes auxilium invocare, quae Medeae veneficae, Hecatae filiae, Persis monitis doctae, persuadeat ut Iasoni auxilium ferat. Iason agnoscit hoc consilium egregium quidem esse sed magnanimis verbis questus est, 487 seq.:

μελέῃ γε μὲν ἡμῖν ὄρωρεν
ἐλπωρὴ, ὅτε νόστον ἐπιτραπόμεσθα γυναιξίν.

Hoc loco non alienum mihi videtur esse de indole et moribus Iasonis nonnulla proferre. Semper ab egregiis ingeniis criticis (Weichert über App. Rhod., Couat la poésie Alexandrine, Mahaffy Gr. life and thought) Apollonio vertitur vitio, quod non ducis natura et virtutibus Argonautica carmen perpetuum et bene cohaerens facta sunt. Num Ulixis in Odyssea semper filum et vinculum est argumenti ipsius? ille quoque tot discrimina passus, quorum pleraque tales digressiones sunt quales Argonautarum mora in insula Lemno, proelium cum Cyzicenis nocte intempesta commissum, lucta Pollucis et Amyci, a diis et deabus adiutus est et unitas totius epici carminis tanta est ut adhuc doctissimi viri maximo studio et labore Odysseam dividere in nativas partes conentur. Quid censendum de fabulis ad Aeneae errores pertinentibus, ubi pii Aeneae, qui tantum deorum vaticiniis propellitur, languido et tardo ingenio nulla carminis unitas constituitur? Quod eorum carminum origine explicandum est. In exordio iam monui argumentum ipsum ad mercaturae studium Minyarum et maritima itinera spectare, deinde fabularum contrahendarum cupidine, qua non res sed

homines ipsi celebrentur, regiae familiae eventus primo loco positi sint. Quum autem percrebuisset fama, numerus sociorum celeberrimorum, qui Iasonem longe superabant, crevit et itineris terminus magis recessit. Quo factum est ut digressiones nonnullae non Iasonem honore sustulerint sed, quasi Homericae ἀρίστειαι, tantum ad gloriam socii cuiusdam augendam pertineant 1). Quum igitur Apollonius Rhodius Argonautica canere constituisset argumentum invenit, quod ducem ipsum, (Iason enim potius primus inter pares est), desiderabat. Eo accedit ut magnum ausum, quod Iason fortiter suscepisset, sine divina et magica ope nemo perficere potuisset. Non tam magno impetu et caeca temeritate quam consilio et prudentia, non nimis confidenter sed considerate duci agendum erat, qui omnibus bene ponderatis nulla pericula reformidavit cf. Ap. 3 : 501 seq. 2)

Praeterea animadverti velim nomen carminis ipsum indicare non tam Iasonis solius labores quam Argonautarum egregia facta celebrari. Me iudice Iason in Apollonii carmine maioris aestimandus est quam Aeneas, quem auguria et monstra persaepe progredi coegerunt. Deinde non Iasonis egregia facta

---

1) Weichert minus recte Apollonii laudem carpit, quibus profert pag. 342 et 343.

2) Unitas in Ap. Rh. carmine non est talis, qualem Prof. Joh. Köffler finxit in Jahresbericht des f. b. Privat-gymnasiums in Brixen: die Gleichnisse bei Apollonius Rhodius, namentlich in Bezug auf ihre stoffgliederende und characterisirende Bedeutung. In quo specimine Germanicae doctrinae inferioris dicit ille omnia, quae rebus in Colchide praecedunt, vaticinari et facta et rationem agendi, Iasonis et Medeae, ut in musica arte primo audimus singulas citharas et cornua singula, postremo omnia eodem tempore magno sonitu atria implentia.

sed iter ipsum, quamquam fabulae nativa forma admodum mutata est, proprium argumentum mansit. Opus autem perpetuum et bene cohaerens effecit Apollonius digressionibus teretibus et rotundis veritate non minus quam simplicate descriptis, deinde epica ratione Homerica, quae ad venuste narrandum maxime profuit, et moderatione ac bono sensu, quo omnia a sua aetate et poetico suo ingenio aliena omisit. Studium aequalium quo Callimachus, Apollonii inimicus et adversarius auctore Athenaeo III : 284 τὸ μέγα βίβλιον ἴσον ἔλεγεν εἶναι τῷ μεγάλῳ κακῷ et quo parva Erinnae poemata in magno honore erant, Apollonio sine dubio maximam utilitatem attulit ad bene et accurate digressiones describendas. Neque Couat neque Mahaffy hanc Apolloniani carminis virtutem satis laudaverunt.

Antequam Medeae in Iasonem amorem nascentem narrare pergam, non possum quin prioribus laudatis, quibus studia temporis iam hic atque illic apparuerit, ad bene singularem sequentis digressionis virtutem intelligendam, demonstrem, quo modo omnibus bonis et gratis rebus, quae Alexandrinorum propriae sint, Apollonius ad carmen componendum usus sit ita, ut Argonautica sint exemplum omnium virtutum, quibus Alexandrini excelluerunt. Ab Apolloniana autem ratione nonnullis locis exceptis longe absunt ea omnia, quibus Alexandrina poesis male audivit. Ubi enim res postulabat, adhibuit geographicam et historicam doctrinam, quam ornavit amoenitate naturae 1) libro secundo gratissime descripta. Praeterea non

---

1) Cf. Mahaffy 243. Of Philetas we can trace not only in this fragments, but still more in his pupil Theocritus that bucolic vain, that love of the country and of external nature, which was certainly wanting in Callimachus.

Quod iudicium laudavi ut intelligatur multos Alexandrinos poetas naturae

fecit quod alii docti poetae illius temporis qui ingenii poetici ardore destituti nugas curabant in arte metrica, in specie quadam et pompa dicendi, in ignotis mythologicis nominibus et rebus magno studio et labore conquirendis, in amore describendo, ubi formam et pulchritudinem vagis imaginibus tantum, nec animi commotiones designabant, vana superbia usi et odio in eos, qui non iisdem studiis favebant neque eandem sectam sequebantur 1). Magni est momenti, quod artes non iam in rei publicae honorem, sed, ut nostris temporibus, sua gratia colebantur 2), quod simplicem veritatem augebat, quae proprius est nostro, ut dicimus, realismo. Vitam quotidianam plebis quaestum facientis urbanam et rusticam, multas externas res non sane magni momenti sed quae pictorum oculos tenere solent, eruditissimi etiam poetae, ut Callimachus, mythologicis argumentis inseruerunt 3).

Nonnulla praeterea exponere mihi in animo est ut bene intelligatur hanc in Argonauticis longam digressionem non minus rerum ordine exstitisse, quam ratione et studio illius memorabilissimae aetatis. Quamquam florente lyrica poesi

---

amoenitatem describere solitos esse et ut ex iis, quae passim proferam, discrimen inter Apollonium et Callimachum perspici possit. De quorum inimicitia vide Couat 493—514.

1) De his omnibus exempla multa inveniuntur in Callimachi elegiis et fragmentis.

2) Cf. Couat, pag. 516.

3) Cf. Originem Hermis in Erathosthenis carmine «Herme», Philetae fragmenta, Theocriti idyllia imprimis XV, Callimachi Palladem lavantem, Comam Berenicis, Hecalen.

Mahaffy 241: But I must not forget to mention another curious feature in these poems, which is the habit of sketching realistic scenes from ordinary life.

Graeci amorem praeclaris elegiis laudaverant, laeti eum iuventutis fructum magis carpebant quam mentis turbatae commotiones observandas curabant et matronarum auctoritas virginumque condicio in inferiore loco fuerant quam temporibus Alexandrinis 1). Eo accedit quod Alexandrinis poetis exemplum et norma fuerunt Hesiodi Ἠοῖαι μεγάλαι et Lydes Antimachi, qui ad delectandam puellam, quam amabat, longum ordinem virginum et mulierum amore vatum celebratarum enumeraverat. Quo exemplo digressio de amantium rebus adversis et gaudiis exstitit et in lance satyra poesios tot mythologicis nugis conditae imprimis lectorum animos captare coepit, ut videmus in Hermisianactis 2) elegiis ad Leontium suam (cf. amorem Leucippi et Arsinoes in Parthenii Eroticis et Ovidii metam. XIV : 698, qui nomina mutavit), in Herme Erathosthenis canentis amorem Cypridis et Hermae, in eiusdem Αἴτια, ubi Acontii et Cydippis casus non sine affectatione narravit (cf. Ovid. Her. ep. 20 et 21 et Aristainetum). cum Alexandrini haec carmina composuerint magis doctrinae iactandae causa quam sincero amore incensi, in eo describendo plerumque soliti sunt celebrare summam castitatem et virginem integritatem 3) tempore, quo Ptolemaeo-

---

1) Mahaffy 63. Mij sketch of the princes and courts of the Diadochi would indeed be incomplete if I did not add something concerning the princesses who play so prominent a part in the great struggle.

2) Cf. Couat 82: l'oeuvre d'Hermésianx ressemble de très-près à celui d'Antimaque 85 et 92.

3) Cf. Mahaffy 240: But perhaps the newest of all the features in this forerunner of the Greek novel was the virgin purity of the maiden, and the importance of its preservation till the happy conclusion of marriage.

Cf. App. Rhod. 3 : 660 τὸν δέ τις ὤλεσε μοῖρα, πάρος ταρπήμεναι ἄμφω

rum aula vitiis et libidine scelesta corrupta erat. Quamquam negandum non est affectationem poetarum et novandi et absconditi promendi studium multa obscena et impudica finxisse.

Sine dubio Stoica placita 1) maxime valuerunt ad mentes hominum mitigandas et humanitatem excolendam. Pro certo affirmari potest pudicum Medeae amorem nascentem Apollonium primum finxisse. Nam nec Antimachus frigida et docta enumeratione, neque tragico et heroico amore Sophocles neque Euripides Medea sua invidiosa et scelesta exemplo potuit esse Apollonio, qui epica veritate et simplicitate hanc novam rem exposuit. Anim advertendum est, cum scholiastae ingentem numerum auctorum aut eorum, qui cum Apollonio consentiunt aut dissentiunt, accumulaverint, quorum plerique mythographi, geographi, Heraclearum scriptores pedestri 2) oratione usi sint, praecipuum Apollonii Rhodii auctorem nullum inveniri 3).

Num Apollonius nonnulla a Callimacho mutuatus sit (quod Weichert negat pag. 57 seq. et quod Couat pag. 503 4) verisimile putat esse in carmine ante profectionem in Rhodum declamato), res est non magni momenti, quod Apollonius aut

---

δήνεσιν ἀλλήλων, ubi poeta describit uxorem flentem maritum, cui nuper nupserat.

1) Cf. Mahaffy 240. Very possibly, too, the Stoic tenets so widely disseminated in those days had their effect in the acceptance of a stricter and more serious view of life.

2) Cf. Weichert 146, 147.

3) Cf. Weichert 152, 153, ubi docet Cleonem, Curio oriundum, a quo τὰ πάντα μετήνεγκεν Ἀπολλώνιος (cf. Schol. 1 : 623) pedestri oratione usum esse, eamque adnotationem esse exaggeratam.

4) Il est probable que les emprunts d'Apollonius étaient plus apparents dans son premier essai: cf. Schol. 1 : 1309 Καλλιμάχειος ὁ στίχος.

in altera editione multo post publici iuris facta ea commutavit aut nonnulla illa Callimachea argumentum egregie ab Apollonio tractatum non auxerunt. Praeterea quod tempore, quo factiones poetarum maxima acerbitate certabant et inter se obtrectabant (Couat 491, 492), Callimachus et multi eius sectatores Apollonio infensissimi nihil, quod ab alio mutuatus sit, afferre potuerunt nisi materiem doctam, quod per se intelligitur neque vitio ei verti potuit, et versus Callimachi nonnullos dubitationem habentes, luculenter apparet Apollonium ipsum auctorem fuisse omnium rerum, quibus carmen excellit. Deinde ad bene intelligendum librum tertium, quem Homericis et novis rebus permixtis sua auctoritate perfecit Apollonius, monebo aetate Alexandrina omnium poeseos generum fusionem exstitisse, cum eo tempore propriam naturam amisissent illa et omnes poetae eruditi et docti summum honorem putarent esse omnia diversa genera eadem dexteritate tractare 1). Hymnus hexametris compositus lyricum spiritum spirare coepit, elegia fieri epica et mythologica, satyra hexametris componi, epicum carmen simillimum esse tragoediae 2). Quo factum est ut in hac digressione libri tertii epica intermixta sint et nonnulla, quae tragoediae propria sunt: mentis turbatae et amore incensae descriptio et colloquii ratio.

Iam monui quantopere Phrixi filiorum et Argonautarum in insula Aretia concursus ét argumenti perpetuitati ipsi prosit (liber enim secundus eo maiore auctoritate est) et demonstravi foedus ab iis initum causam esse cur hospitii iure obstrictus Aeetes hospites non statim interfecerit.

---

1) Cf. Couat 106: c'était la vraie gloire d'un poète Alexandrin que d'essayer tous les genres et de réussir dans tous.

2) Cf. Mahaffy 226, 227, 252, 253.

Sed quae res est summi momenti, Chalciope mater crimine, quod filiis eius minatur Aeetes, verita ne una cum Argonautis pereant, Medeam adhortata est ut magica arte Iasonem ad labores perferendos adiuvet. Medea igitur Chalciopes precibus et amore Iasonis quoque permota cognatos et Iasonem, carum caput, non sua causa sed quietem suam et bonam famam nihili faciens e certa pernicie eripuit ita, ut ipsa omni scelere abluta fortem et invictum animum ostenderit. Puella autem vel mulier, cuius mens amore exarsit, amicam desiderat, quacum dubias curas et gaudia communicet. Talem ordine rerum et poetica Apollonii ratione Chalciope se praebuit. Quam longe autem Chalciope, Medeae affinis, nutrici usitatae tot tragoediarum praestet, ne uno quidem verbo opus est ut explicem.

Quamquam autem Medeae nascens amor huius generis poeseos mansuri per aeva primum exemplum fuit, Alexandrini nostri digressio ilico ad summum praestantiae et venustatis culmen pervenit, ut Persis profligatis Graeca divina gens brevissimo tempore omnibus artibus populos omnes facile superaverat. Quum autem originem huius digressionis et naturam explicaverim, quo apparet Apollonium virtutes carminis aetati Alexandrinae et Graecae indoli convenientes suo modo et suo arbitrio egregie et rectissime creavisse, pergam narrare et illustrare innocentis puellae, non iam suam sed Iasonis salutem curantis, candidum amorem.

Argus igitur, ut Iasoni promiserat, Chalciopen adit quae Medeam roget ut Iasoni opem ferat. Mater de sorte filiorum sollicita et anxia haec ipsa iam cogitaverat sed inanis metus compescuerat quominus precibus peteret Medeam: quae tamen mox eam praeventura erat 609—615. Quid Medea? Quae

aliquis magnopere optat ut fiant, haec evenire persaepe somniis videre solet. Medeae solverat artus altissimus somnus et dolore curisque libera quiescebat puella in lecto cubans. Et somniabat Iasonem in urbem Aeetae venisse non velleris sed sua causa; deinde se ipsam cum tauris depugnantem admodum facilem laborem subire, suos vero parentes promisso non stare, quoniam non se sed Iasonem periculi nescium boves iungere iussissent; iurgiis et contentione exorta utrumque sibi arbitrium permisisse: ipsam autem neglectis parentibus hospitem sibi elegisse 1), quo illo ingenti dolore capti et irati exclamarent. Ut fit, medio e somnio expergefacta Medea:

Παλλομένη δ' ἀνόρουσε φόβῳ, περί τ' ἀμφί τε τοίχους
πάπτηνεν θαλάμοιο· μόλις δ' ἐσαγείρατο θυμὸν
ὡς πάρος ἐν στέρνοις, ἀδινὴν δ' ἀνενείκατο φωνήν 615—635.

„Vae mihi", exclamat, „quantum me gravia terruerunt somnia, sed ille despondeat sibi suo in populo Achaicam procul puellam (frustra se fallere studet sed amori succumbit): attamen deposito saevo animo iam periculum faciam, si me auxilium meum rogatura sit Chalciope, de suis sollicita filiis: quae quidem res mihi acerbum in pectore extinguat dolorem". 645 seq.:

ἦ ῥα, καὶ ὀρθωθεῖσα θύρας ὤιξε δόμοιο,
νηλίπος, οἰέανος· καὶ δὴ λελίητο νέεσθαι,
αὐτοκασιγνήτηνδε, καὶ ἕρκεος οὐδὸν ἄμειψεν.
δὴν δὲ κατ' αὐτόθι μίμνεν ἐνὶ προδόμῳ θαλάμοιο,
αἰδοῖ ἐεργομένη· μετα δ' ἐτράπετ' αὖτις ὀπίσσω
στρεφθεῖσ'· ἐκ δὲ πάλιν κίεν ἔνδοθεν, ἄψ τ' ἀλέεινεν

1) Illud εἵλητο (631): quod significat elegit, recte est verbumamantis puellae, non viri qui arbitrium de re gravi profert.

εἶσω· τηΰσιοι δὲ πόδες Φέρον ἔνθα καὶ ἔνθα·
ἤτοι ὅτ' ἰθύσειεν, ἔρυκέ μιν ἔνδοθεν αἰδώς·
αἰδοῖ δ' ἐγρομένην θρασὺς ἵμερος ὀτρύνεσκεν,
τρὶς μὲν ἐπειρήθη, τρὶς δ' ἔσχετο. τέτρατον αὖτις
λέκτροισιν πρηνὴς ἐνικάππεσεν εἰλιχθεῖσα.
ὡς δ' ὅτε τις νύμφη θαλερὸν πόσιν ἐν θαλάμοισιν
μύρεται, ᾧ μιν ὄπασσαν ἀδελφεοὶ ἠδὲ τοκῆες,
οὐ δέ τί πω πάσαις ἐπιμίσγεται ἀμφιπόλοισιν
αἰδοῖ ἐπιφροσύνῃ τε· μυχῷ δ' ἀχέουσα θαάσσει.
τὸν δέ τις ὤλεσε μοῖρα, πάρος ταρπήμεναι ἄμφω
δήνεσιν ἀλλήλων· ἣ δ' ἔνδοθι δαιομένη περ
σῖγα μάλα κλαίει χῆρον λέχος εἰσορόωσα,
μή μιν κερτομέουσαι ἐπιστοβέωσι γυναῖκες·
τῇ ἰκέλη Μήδεια κινύρετο.

Una e pedissequis audit puellam querentem flentemque et statim advolat ad Chalciopen, quae maestam Medeam de causa doloris interrogat, ipsa de filiorum sorte sollicita. Inde pergit Apollonius 681 seq.

ὣς Φάτο (Chalciope)· τῆς (Medeae) δ' ἐρύθηνε παρήια· δὴν δέ μιν αἰδὼς
παρθενίη κατέρυκεν ἀμείψασθαι μεμαυῖαν.
μῦθος δ' ἄλλοτε μέν οἱ ἐπ' ἀκροτάτης ἀνέτελλεν
γλώσσης, ἄλλοτ' ἔνερθε κατα στῆθος πεπότητο.
πολλάκι δ' ἰμερόεν μὲν ἀνα στόμα θυῖεν ἐνισπεῖν.
φθογγῇ δ' οὐ προύβαινε παροιτέρω· ὀψὲ δ' ἔειπεν
τοῖα δόλῳ· θρασέες γὰρ ἐπικλονέεσκον Ἔρωτες.

Deinde sororem explorat num prior se oratura sit, ut liberis opituletur. Dicit enim se diris somniis territam vereri ne ipsos pater cum peregrinis viris statim interficiat. At Chalciope anxia Medeam precibus fatigat ut per coelum et per

terram iusiurandum det, quo obstringatur Phrixi et suos filios e periculo eripere, cf. 705 seq.

ὣς ἄρ ἔφη, τὸ δὲ πολλὸν ὑπεξέχυτ' αὐτίκα δάκρυ.
νειόθι δ'ἀμφοτέρῃσι περίσχετο γούνατα χερσίν,
συν δὲ κάρη κόλποις περικάββαλεν, ἔνθ'ἐλεεινὸν
ἄμφω ἐπ' ἀλλήλῃσι θέσαν γόον· ὦρτο δ'ἰωὴ
λεπταλέη διὰ δώματ' ὀδυρομένων ἀχέεσσιν.

Medeam rogitantem quo modo Iasonem adiuvare possit adhortatur Chalciope, ut aut dolum aut quandam rationem certaminis propter liberos excogitet: Argum ab Iasone missum se incitavisse, ut sollicitet Medeae auxilium. Deinde 724 seq. ὣς φάτο (Chalciope). τῇ (Medeae) δ'ἔντοσθεν ἀνέπτατο χάρματι θυμός,

φοινίχθη δ'ἄμυδις καλὸν χρόα, καδ δέ μιν ἀχλὺς
εἶλεν ἰαινομένην, τοῖον δ'ἐπι μῦθον ἔειπεν·

Et laeta pollicetur se cras in templum Hecates venturam esse ut Iasoni medicamina det. Quum Chalciope e thalamo rursus abiit, illam ipsam pudor et metus occupat, quod talia contra patrem deliberat.

Ut appareat quantopere poesis Alexandrina Vergilium (cf. libr. IV : 220) et Ovidium quoque (Trist. 1 : 3 : 27) adiuverit, laudabo versus 744 et sequentes:

νὺξ μὲν ἔπειτ'ἐπι γαῖαν ἄγεν κνέφας· οἱ δ'ἐνι πόντῳ
ναυτίλοι εἰς Ἑλίκην τε καὶ ἀστέρας Ὡρίωνος
ἔδρακον ἐκ νηῶν· ὕπνοιο δὲ καί τις ὀδίτης
ἤδη καὶ πυλαωρὸς ἐέλδετο· καί τινα παίδων
μητέρα τεθνεώτων ἀδινὸν περι κῶμ' ἐκάλυπτεν.
οὐ δὲ κυνῶν ὑλακὴ ἔτ' ἀνα πτόλιν, οὐ θρόος ἦεν
ἠχήεις· σιγὴ δὲ μελαινομένην ἔχεν ὄρφνην.

Qua egregia comparatione mens amore turbata et quieta nox opponuntur.

Medeae autem cor in pectore turbato agitabatur ut radius ex aqua repercussus in aedibus resultat (755—760) et dubitante modo utrum medicamina delinientia det necne, et ipsa pereat, modo an neget et quiete suum perferat malum, praeferendum videtur dedecus suum et Iasonis salus. Deinde magnanima puella exclamat ἐρρέτω αἰδώς,

ἐρρέτω ἀγλαΐη· ὅ δ' ἐμῇ ἰότητι ἰσαωθεὶς
ἀσκηθής, ἵνα οἱ θυμῷ φίλον, ἔνθα νέοιτο.

Sperat fore ut eo servato mors solum malorum remedium sit sibi, quam ne mortuam quidem vicinae 1) (cf. 791) conviciis laedere desistant. Quam vero non suam infamiam futuram esse? melius sibi esse hac ipsa nocte relinquere vitam in thalamis morte inopinata, mala probra omnia effugientem 744—802.

Et abit arcam allatum, in qua multa medicamenta salutaria et pestifera recondita erant. Qua genibus imposita lamentata est sed venenum degustatura puella gaudia vitae recordatur 809 seq.:

ἀλλά οἱ ἄφνω
δεῖμ' ὀλοὸν στυγεροῖο κατα φρένας ἦλθ' Ἀΐδαο.
ἔσχετο δ'ἀμφασίῃ δηρὸν χρόνον, ἀμφὶ δὲ πᾶσαι
θυμηδεῖς βιότοιο μεληδόνες ἰνδάλλοντο.
μνήσατο μὲν τερπνῶν, ὅς' ἐνι ζωοῖσι πέλονται,
μνήσαθ' ὁμηλικίης περιγηθέος, οἷά τε κούρη·
καί τέ οἱ ἠέλιος γλυκίων γένετ' εἰσοράασθαι,
ἢ πάρος, εἰ ἐτεόν γε νόῳ ἐπεμαίετ' ἕκαστα.

Arca deposita lucem manet non iam dubitans quin Iasonem

1) De rumore vicinitatis, cui puellae fama obici potest cf. Nausicaam in Od. VI : 274 seq. et. Goethii Faust I (Gretchen und Lieschen mit Krügen).

compellet et medicamina det, et ut sol oriatur tam cupiens 822 seq.:

πυκνὰ δ'ἀνα κληῖδας ἐῶν λύεσκε θυράων,
αἴγλην σκεπτομένη, τῇ δ'ἀσπάσιον βάλε φέγγος.
Ἠρεγενὴς, κίνυντο δ'ἀνα πτολίεθρον ἕκαστοι.

His dubitationibus et anxia mente teneram puellam vexari antequam se omnibus periculis pro viro amato obiciat bene intellexit Apollonius: eo maiore admiratione digna est, quod non suam sed illius salutem curans omni opera illum servavit. 802—824.

Induta peplum pulchrum vestigiis doloris et dubiae mentis detersis ipsa 835 seq.:

αὐτοῦ δὲ δόμοις ἐνιδινεύουσα
στεῖβε πέδον λήθῃ ἀχέων, τά οἱ ἐν ποσὶν ἧεν
θεσπέσι' ἀλλά τ' ἔμελλεν ἀεξήεσθαι ὀπίσσω.

Tanta veritate non animi commotiones solas descripsit Apollonius sed habitum totum, vultum, ingressum quasi in tempore, quo nulla ars scenica floruit, noster ante oculos habuerit clarissimas actrices scenicas huius aetatis. Memini nostram celeberrimam Frenkel-Bouwmeester magnam gloriam adipisci, quod in primo actu dramatis „Fedora", a Gallico poeta Sardou scripti, anxiam mentem tremebundae impatientia morae mulieris etiam melius imitata sit quam Gallica Sarah Bernard. Quae tunc in theatro vidi, legi in Apollonii carmine. In hoc libro tertio Apollonius locis laudatis summa praestantia et veritate descriptionis non minore gloria dignus est quam ob pronuntiationem et actionem et gestus actrices scenicae huius temporis clarissimae.

Quae sequuntur optima et pergrata, in memoriam revocant venustissimum Odysseae librum V (sub finem) et VI. Iussit

Medea ancillas celeriter mulos iungere currui et medicamento 1) clam ex arca sumpto conscendit rhedam, vectaque est per urbem, ancillis circum currum celeriter sequentibus, 872 seq.

αἱ δὲ δὴ ἄλλαι
ἀμφίπολοι, πείρινθος ἐφαπτόμεναι μετόπισθεν,
τρώχων εὐρεῖαν κατ' ἀμαξιτόν· ἂν δὲ χιτῶνας
λεπταλέους λευκῆς ἐπιγουνίδος ἄχρις ἄειρον.

Versus postremus plane et dilucide discrimen, quod inter Homericam rationem et inter Apollonianam est, indicat: Homerus nondum tantopere ad veritatem naturae describere potuit. Utinam homines aetatis Alexandrinae cognovissent colores et oleum miscere et habuissent omnia utensilia necessaria ad pingendum, Graeci pictores quoque (imagines virorum et mulierum nonnullae in Aegypto inventae in sarcophagorum operculis iam summa praestantia sunt) eundem principatum obtinuissent, quem poetae, architecti, sculptores, legislatores, philosophi quoque, qui physicis studiis imprimis operam navantes ingenii acumine et sana mente Graeca, deinde meditatione et observata natura, physicas rationes et naturae leges tam fixas et tam immotas statuerunt, ut physici nostrae aetatis ampliore disciplina et melioribus instrumentis usi tantum eas affirmare potuerint 2).

Quum extra urbem pervenerunt, Medea celeriter a curru descendit et callide magna prudentia, primo timore simulato, deinde laeto adloquio (quae omnia admodum sunt virginis, quae ambagibus nonnullis et longo exordio usa amicis per-

1) Fusius descriptum est 844—867, ubi narrat poeta cruore Promethei in Caucaso monte adstricti herbam, qua medicamen paravit, succrevisse.

2) Cf. ingeniosissimos atomistas. Inspicias passim opus doctissimi Iohn Masson (the atomic theory of Lucretius contrasted with modern doctrines of atoms and evolution).

suadere conatur) dixit se territam esse quod nihil curans prope viros peregrinos accesserit et adhortatur ancillas ut, cum nulla earum mulierum, quae eodem quotidie soleant confluere, ventura sit, cantu et floribus carpendis gaudeant (891—899). Eas non pavere notans veram causam aperit multa dona iis pollicita (Argum quoque et Chalciopen a se id petiisse) et iussit eas discedere, cum Iason venisset 891—911.

Argos qui iam (825—827) vidit Medeam paratam esse in Hecatae fanum abire, duxit Iasonem robore et pulchritudine splendidum per campos. Mopsus autem Ampycides eos secutus, consilio garrulae cornicis quod legitur 932:

„ἀκλειὴς ὅδ'ε μάντις, ὃς οὐδ'ὅσα παῖδες ἴσασιν
οἶδε νόῳ Φράσσασθαι, ὀθούνεκεν οὔτέ τι λαρὸν
οὔτ' ἐρατὸν κούρη κεν ἔπος προτιμυθήσαιτο
ἡιθέῳ, εὖτ' ἄν σφιν ἐπήλυδες ἄλλοι ἔπωνται.
ἔρροις, ὦ κακόμαντι, κακοφραδές· οὐδέ σε Κύπρις
οὔ τ' ἀγανοὶ Φιλέοντες ἐπιπνείουσιν Ἔρωτες,

hoc igitur audito Iasonem adhortatur ut solus in templum abeat (912—946).

Quae sequuntur, quibus Medeae cupientis anxia exspectatio describitur, non possum quin laudem 948 seq.:

οὐ δ'ἄρα Μηδείης θυμὸς τράπετ' ἄλλο νοῆσαι,
μελπομένης περ ὅμως· πᾶσαι δέ οἱ, ἥντιν' ἀθύροι
μολπήν, οὐκ ἐπι δηρὸν ἐφήνδανεν ἐψιάασθαι.
ἀλλὰ μεταλλήγεσκεν ἀμήχανος, οὐ δε' ποτ' ὄσσε
ἀμφιπόλων μεθ' ὅμιλον ἔχ' ἀτρέμας· ἐς δὲ κελεύθους
τηλόσε παπταίνεσκε, παρακλίνουσα παρειάς.
ἦ θαμὰ δὴ στηθέων ἐάγη κέαρ, ὁππότε δοῦπον
ἢ ποδὸς ἢ ἀνέμοιο παραθρέξανται δοάσσαι.
αὐτὰρ ὅγ' οὐ μετα δηρὸν ἐελδομένη ἐφάνθη

ὑψόσ' ἀναθρώσκων ἅτε Σείριος Ὠκεανοῖο,
ὅς δή τοι καλὸς μὲν ἀρίζηλός τ' ἐςιδέσθαι
ἀντέλλει, μήλοισι δ' ἐν ἄσπετον ἦκεν ὀιζύν.
ὡς ἄρα τῇ καλὸς μὲν ἐπήλυθεν εἰσοράασθαι
Αἰσονίδης, κάματον δὲ δυσίμερον ὦρσε Φαανθείς,
ἐκ δ'ἄρα οἱ κραδίη στηθέων πέσεν, ὄμματα δ'αὖτως
ἤχλυσαν· θερμὸν δὲ παρηίδας εἶλεν ἔρευθος.
γούνατα δ'οὔτ' ὀπίσω οὔτε προπάροιθεν ἀεῖραι
ἔσθενεν, ἀλλ'ὑπένερθε πάγη πόδας. αἱ δ'ἄρα τείως
ἀμφίπολοι μάλα πᾶσαι ἀπο σφείων ἐλίασθεν.

In hac omnium pulcherrima comparatione (950—960) nonnulla indicare videntur amorem Medeae funestum fore.

De Medea autem..... sed in hac gratissima Apolloniani carminis parte τὸ εὐφημεῖν praeferendum esse mihi videtur, nihil dicit optimus poeta. Sirio enim et igni torrenti similis est unusquisque, qui in virtutis et pulchritudinis splendore apparet virgini iam amore incensae, sua sponte amantis solius salutem curanti, decus et vitam totam in ultimum discrimen daturae: Iove viso amantissima Semele quoque rutilo fulminis ardore interiit! Pergit Apollonius, 967 seq.:

τὼ δ'ἄνεῳ καὶ ἄναυδοι ἐφέστασαν ἀλλήλοισιν,
ἢ δρυσιν, ἢ μακρῇσιν ἐειδόμενοι ἐλάτῃσιν,
αἵτε παράσσον ἔκηλοι ἐν οὔρεσιν ἐρρίζωνται,
νηνεμίῃ· μετὰ δ'αὖτις ὑπο ῥιπῆς ἀνέμοιο
κινύμεναι ὁμάδησαν ἀπείριτον· ὣς ἄρα τώγε
μέλλον ἅλις φθέγξασθαι ὑπο πνοιῇσιν Ἔρωτος.
γνῶ δέ μιν Αἰσονίδης ἄτῃ ἐνιπεπτηυῖαν.
θευμορίῃ.

Tandem incipit Iason lenissimis verbis ad confirmandam et adhortandam virginem 975 seq.:

τίπτέ με, παρθενική, τόσον ἄζεαι, οἷον ἔοντα;
οὔ τοι ἐγών, οἷοί τε δυσαυχέες ἄλλοι ἔασιν
ἀνέρες, οὐδ' ὅτε περ πάτρῃ ἔνι ναιετάασκον,
ἦα πάρος, τὼ μή με λίην ὑπεραίδεο, κούρη,
ἤ τι παρεξερέεσθαι, ὅ τοι φίλον, ἠέ τι φάσθαι.
ἀλλ' ἐπεὶ ἀλλήλοις ἱκάνομεν εὐμενέοντες,
χώρῳ ἐν ἠγαθέῳ, ἵνα τ' οὐ θέμις ἔστ' ἀλιτέσθαι,
ἀμφαδίην ἀγόρευε καὶ εἴρεο.

Deinde explicat se dira necessitate coactum esse ut virginem sine qua labores perficere non possit, auxilium roget: se autem ab ea adiutum per totam Graeciam celebraturum esse eam, dignam eodem honore quo Ariadne, Minois filia et sermonem concludit.

ἦ γὰρ ἔοικας
ἐκ μορφῆς ἀγανῇσιν ἐπητείῃσι κεκάσθαι.
ὣς φάτο κυδαίνων· ἣ δ' ἐγκλιδὸν ὅσσε βαλοῦσα
νεκτάρεον μείδησ'· ἐχύθη δέ οἱ ἔνθοδι θυμὸς
κἴνῳ ἀειρομένης. καὶ ἀνέδρακεν ὄμμασιν ἄντην.
οὐ δ' ἔχεν ὅττι πάροιθεν ἔπος προτιμυθήσαιτο,
ἀλλ' ἄμυδις μενέαινεν ἀολλέα πάντ' ἀγορεῦσαι.
προπρὸ δ' ἀφειδήσασα θυώδεος ἔξελε μίτρης
φάρμακον· αὐτὰρ ὅγ' αἶψα χεροῖν ὑπέδεκτο γεγηθώς.
καί νύ κέ οἱ καὶ πᾶσαν ἀπο στηθέων ἀρύσασα
ψυχὴν ἐγγυάλιξεν ἀγαιομένη χατέοντι·
τοῖος ἀπο ξανθοῖο καρήατος Αἰσονίδαο
στράπτεν Ἔρως ἠδεῖαν ἀπο φλόγα· τῆς δ' ἀμαρυγὰς
ὀφθαλμῶν ἥρπαζεν· ἰαίνετο δὲ φρένας εἴσω
τηκομένη, οἷόν τε περι ῥοδέῃσιν ἐέρση
τήκεται ἠῴοισιν ἰαινομένη φαέεσσιν.
ἄμφω δ' ἄλλοτε μέν τε κατ' οὔδεος ὄμματ' ἔρειδον

ἀϊδόμενοι, ὁτὲ δ' αὖτις ἐπι σφίσι βάλλον ὀπωπάς,
ἱμερόεν φαιδρῇσιν ὑπ' ὀφρύσι μειδιόωντες.

Tandem Iasonem alloqui ausa ei omnia accurate praescribit, quae ei agendi sint ut salvus e periculosis laboribus a rege Aeete impositis evadat, et dicit versus 1060 seq.:

τὸ δὲ κῶας ἐς Ἑλλάδα τοῖό γ' ἔκητι
οἴσεαι ἐξ Αἴης τηλοῦ πόθι. νίσσεο δ' ἔμπης,
ἦ φίλον, ἤ τοι ἔαδεν ἀφορμηθέντι νέεσθαι.
ὣς ἄρ ἔφη, καὶ σῖγα ποδῶν πάρος ὄσσε βαλοῦσα
θεσπέσιον λιαροῖσι παρηίδα δάκρυσι δεῦεν
μυρομένη, ὅ,τ' ἔμελλεν ἀπόπροθι πολλὸν ἐοῖο
πόντον ἐπιπλάγξεσθαι, ἀνιηρῷ δέ μιν ἄντην
ἐξαῦτις μύθῳ προσεφώνεεν, εἶλέ τέ χειρὸς
δεξιτερῆς· δὴ γάρ οἱ ἀπ' ὀφθαλμοὺς λίπεν αἰδώς.

Quidquam, quod verius et praestantius est, non facile invenias. Verba postrema, quae laudabilis puella ad Iasonem dixit, ei ipsi tam dira et tam crudelia videntur, ut lacrimis obortis, dolens quod per maria est erraturus, eum precetur ut se recordetur (ipsam enim se eius numquam obliturum esse), si domum redux venerit et ut sibi dicat ubinam ei patria sit et ut sibi plura de Ariadne narret (1076).

At Iason ipse lacrimis puellae magno amore incensus comiter affirmat se suae salutis auctoris noctesque diesque memorem fore et nonnullis de patria, de Orchomeno, de Ariadne expositis optat ut Aeetes secum consentiat eodem modo quo Minos cum Theseo. At virgo discessum Iasonis dolens et ad desperationem adducta dicit: patrem non esse similem Minoi neque se Ariadnae; ille autem sui memor sit; sed fama e longinqua terra vel nuntia avis veniat, si oblitus fuerit amantis, aut procellae se agant in conspectum

Iasonis, ut levitatem exprobret. Ad quae Iason misericordia et amore permotus eam hortatur, ut secum in Graeciam abeat ubi domum ductura sit eam, amore omnium et dignitate felicem: tum fore ut nihil nisi mors amori obsistat (1076—1130).

Medea (nempe Iunonis erat voluntas ut in Graeciam cum Iasone proficisceretur), mox non negatura, silet tamen neque respondere audet reditus immemor, quamquam (neque ancillas Apollonius veritatis studio non commemorat) 1137 seq.:

ἤδη δ' ἀμφίπολοι μὲν ὀπιπεύουσαι ἄπωθεν
σιγῇ ἀνιάζεσκον· ἐδεύετο δ' ἤματος ὥρη,
ἂψ οἶκονδὲ νέεσθαι ἐὴν μέτα μητέρα κούρην.

Iason autem cautus Medeam monet, tempus esse discedendi, deinde ad socios et navem laetus festinat redire et Medea ad ancillas, neque virgo in cogitatione defixa animadverterat eas omnes una advolantes.

ψυχὴ γὰρ νεφέεσσι μεταχρονίη πεπότητο,
αὐτομάτοις δὲ πόδεσσι θοῆς ἐπεβήσατ' ἀπήνης,
καί ῥ' ἑτέρῃ μὲν χειρὶ λάβ' ἡνία, τῇ δ' ἄρ ἱμάσθλην
δαιδαλέην, οὐρῆας ἐλαυνέμεν· οἳ δὲ πόλιν δὲ
θῦνον ἐπειγόμενοι ποτι δώματα, τὴν δ' ἄρ ἰοῦσαν
Χαλκιόπη περι παισὶν ἀκηχεμένη ἐρέεινεν.
ἣ δὲ παλιντροπίῃσιν ἀμήχανος, οὔτέ τι μύθων
ἔκλυεν, οὔτ' αὐδῆσαι ἀνειρομένῃ λελίητο.
ἷζε δ' ἐπι χθαμαλῷ σφέλαϊ κλιντῆρος ἔνερθεν
λέχρις ἐρεισαμένη λαιῇ ἐπι χειρὶ παρειήν·
ὑγρὰ δ' ἐνι βλεφάροις ἔχεν ὄμματα, πορφύρουσα
οἷον ἐῇ κακὸν ἔργον ἐπιξυνώσατο βουλῇ.

Quamquam criminis in parentem sibi conscia est, magnanima virgo Iasoni salutem allatura est 1130—1162. Hoc colloquium excellit veritate qua narravit Apollonius Medeam primo

profectam ut medicamina Iasoni daret, quibus servatus procul a Colchide in patriam redire posset, mox lacrimis obortis amorem non iam celantem invitam Iasonem adhortatam esse ut se in Graeciam abduceret. Quae Iason de Ariadne, Minois filia, de patria sua, de Orchomeno dixit non doctum additamentum habendum est sed habet maximam vim ut virgini iam amori succumbenti persuadeant.

Nondum concionem Argonautarum ante diem, quo Medea et Iason collocuti sunt, habitam commemoravi, ne expositionem nascentis Medeae amoris inciderem. Iason cum sociis dira Aeetae iussa communicavit, docens se — nihil enim melius factu esse — labores suscepisse. Cum plerisque insuperabiles difficultates esse viderentur, Peleus iratus dixit se, si Iason recusaret, quo minus id perficeret, non posse sinere alium mortis periculo obici. Quum Telamon, Ida, Tyndaridae indignatione fremerent et Argus Phrixi filio auxilium Medeae pollicitus esset dii faustum omen dederunt: columbam, Veneri sacram avem, accipitris vim effugientem et in sinum Iasonis delabentem. Laetus agnoscit Mopsus auxilium Veneris a Phineo promissum sed Idas, ut semper ferox proelium mavult 489—576.

Ab alia parte igitur Argonautas primo plerosque perculsos, mox autem bono omine accepto confirmatis animis Iasonis virtute confidere, ab alia contra parte legimus Aeeten, ferocissimum regem, Iasone occiso vim et insidias in Argonautas paravisse 557—608.

Nocte, quae colloquium Iasonis et Medeae sequitur, Iasonem omnia a Medea monita perficere et impavidum terroribus dirissimis parem esse narravit Apollonius fusius et aliis verbis atque in colloquio a me tractato usus est. Rectissime terrores ab Hecate oblatos inseruit noster, quibus Iasonem, Medeae

amore iam honoratum, virum constantem et fortem, dignum divina ope cognovimus.

Eodem modo, quo multis in fabulis magicae opes, heroum gloriam minime diminuunt, salutem a Medea Iasoni oblatam Apollonius ea fide, quam habere bonum poetam decet, narravit (1191—1225).

Postridie eius diei Aeetes Solis filius, armis splendidis et invictis ornatus currum escendit et magna multitudine stipatus festinat (ut Neptunus ad ludos Isthmios aliosve) ad laborem Iasonis inspiciendum.

Uncto corpore et armis tali medicamine, ut Idas atrox et impia mente deorum opem nihili faciens Iasonis hastam omnibus viribus frangere non possit. At Iason pugnam sperat. Robur enim eum subiit intrepidum et invictum et utrimque validae manus viribus induruerunt. Et ille: (1259—1262).

ὡς δ' ὅτ' ἀρήϊος ἵππος ἐελδόμενος πολέμοιο
σκαρθμῷ ἐπιχρεμέθων κρούει πέδον, αὐτὰρ ὕπερθεν
κυδιόων ὀρθοῖσιν ἐπ' οὔασιν αὐχέν' ἀείρει·

hastam vibrans huc atque illuc morae impatiens pedes sublimes movet (1265—1267).

Φαίης κεν ζοφεροῖο κατ' αἰθέρος ἀίσσουσαν
χειμερίην στεροπὴν θαμινὸν μεταπαιφάσσεσθαι
ἐκ νεφέων, ὅτ' ἔπειτα μελάντατον ὄμβρον ἄγωνται.

Nautae in sedilibus ex ordine considentes celerrime in campum Marti sacratum remigant. Ob comparationem bene exstructam et coronae civium scopulo insistentium et regis ad ripam fluvii laborem Iasonis inspicientis gratissimam et accuratam descriptionem, quo locorum naturam et spectatorum statum descripsit Apollonius, citabo 1271—1277.

τόσσον δὲ προτέρω πέλεν ἄστεος ἀντιπέρηθεν,
ὅσσον τ' ἐκ βαλβῖδος ἐπήβολος ἅρματι νύσσα
γίγνεται, ὁππότ' ἄεθλα καταφθιμένοιο ἄνακτος
κηδεμόνες πεζοῖσι καὶ ἱππήεσσι τίθενται.
τέτμον δ' Αἰήτην τε καὶ ἄλλων ἔθνεα Κόλχων,
τοὺς μὲν Καυκασίοισιν ἐφεσταότας σκοπέλοισιν
τὸν δ' αὐτοῦ παρα χεῖλος ἐλισσόμενον ποταμοῖο.

Argonautarum ardorem Iasonis virtute et constantia fidentium bene opposuit Apollonius regi potenti et ingenti multitudini Colchorum.

De labore, quo perfunctus est Iason, omnibus noto, non plura dicam, nisi quod Apollonius ad eandem veritatem naturae, qua plerumque usus est, haec omnia descripsit et comparationibus 1) ad diversa facta illustranda peridoneis et pulcherrimis usus est. Tanto ardore poetico Iasonis labores tot pulcherrimis comparationibus ornatos descripsit Apollonius ut in hac quoque libri tertii parte omnes vires intenderit eademque vi usus sit, qua Homerus in libro quarto Iliadis 423—456 comparationes accumulavit ad multitudinem copiarum, pugnantium clamorem et sanguinem fluentem describendum.

Liber quartus incipit 1 et 2:

---

1) De tauris iugo subactis 1307—1313, de arando 1322—1339, 1340—1348 (boves perterriti, soluti ab Iasone, fugam petunt 1345 quod et veritate excellit et Iasonis robur et virtutem demonstrat; egregii quoque versus quos Valerius omisit, sunt 1348—1352 de Iasone bibente et robur temptante), de splendore armatorum virorum 1357—1358, 1359—1363, de clamore mirantium Colchicorum 1370—1371, de furore 1373—1374 terriginarum mox suis ictibus cadentium (1374—1376), de virtute Iasonis simillimi lucidae stellae (1377—1379), et viros crescentes e sulcis metentis (1386—1390), de sulcis sanguine repletis (1392).

αὐτὴ νῦν κάματόν γε, θεά, καὶ δήνεα κούρης
Κολχίδος ἔννεπε, Μοῦσα, Διὸς τέκος.

versuum 3—5, lectio non constat (cf. ed. Merkel). Miram dubitationem, quo nomine virginis facta nominet, refellit poeta ipse versu 40, ubi epitheto ἱμερόεσσα usus est.

Nocte, quae sequitur, virgo iram ferocissimi Aeetae verita tremit ut cerva in nemoris dumetis canum latratu pavet, et:

τάρβει δ' ἀμφιπόλους ἐπιίστορας ἐν δέ οἱ ὄσσε
πλῆτο πυρὸς, δεινὸν δὲ περιβρομέεσκον ἀκουαί.
πυκνὰ δὲ λαυκανίης ἐπεμάσσατο, πυκνὰ δὲ κουρὶξ
ἑλκομένη πλοκάμους γοερῇ βρυχήσατ' ἀνίῃ.

Iterum venenum degustatura Iunonis consilia erat frustratura nisi dea eam incitavisset ut cum Phrixi filiis ad Argonautas confugeret. Quamquam poeta finxit hanc subitam cogitationem Iunonis ope Medeae animum subiisse, rerum series non abrumpitur neque id deae factum interventus dicendus est.

πτερόεις δέ οἱ ἐν φρεσὶ θυμὸς
ἰάνθη, μετὰ δ' ἧγε παλίσσυτος ἀθρόα κόλπων
φάρμακα πάντ' ἄμυδις κατεχεύατο φωριαμοῖο.
κύσσε δ' ἑόν τε λέχος καὶ δικλίδας ἀμφοτέρωθεν
σταθμοὺς, καὶ τοίχων ἐπαφήσατο, χερσί τε μακρὸν
ῥηξαμένη πλόκαμον, θαλάμῳ μνημήϊα μητρὶ
κάλλιπε παρθενίης, (23—29).

et tristi voce matrem, Chalciopen, totamque domum valere iubens, exclamat amantissima sed pudica et innocentissima puella: oh, utinam te mare hospes perdidisset, priusquam in Colchidem venisses! Lacrimans ingenti dolore domum relinquit:

οἵη δ' ἀφνειοῖο διειλυσθεῖσα δόμοιο
ληιάς, ἥντε νέον πάτρης ἀπενόσφισεν αἶσα,
οὐ δέ νύ πω μογεροῖο πεπείρηται καμάτοιο,

ἀλλ᾽ ἔτ᾽ ἀηθέσσουσα δύης καὶ δούλια ἔργα
εἶσιν ἀτυζομένη χαλεπὰς ὑπο χεῖρας ἀνάσσης·
τοίη ἄρ ἱμερόεσσα δόμων ἐξέσσυτο κούρη.

Sine strepitu aperit ianuam celeri cantatione

γυμνοῖσιν δὲ πόδεσσιν ἀνα στεινὰς θέεν οἴμους,
λαιῇ μὲν χερὶ πέπλον ἐπ᾽ ὀφρύσιν ἀμφι μέτωπα
στειλαμένη καὶ καλὰ παρήια, δεξιτερῇ δὲ
ἄκρην ὑψόθι πέζαν ἀερτάζουσα χιτῶνος. (43—46)

Ob versus 3 : 874 et 875 iam maximis laudibus Apollonium extuli sed hoc loco adiciam Medeam hoc modo sinistra manu peplum circa frontem et pulchras genas detrahentem et altera tollentem oram tunicae mihi in memoriam revocare statuas elegantissimas Tanagrae in sarcophagis inventas et monebo aetatem labantis Graecitatis, ut vulgo dicitur, arte non tam grandi quam gratissima et ad veritatem naturae res et homines effingente in his quoque principem locum obtinere.

Urbe egrediens custodes latet et Luna agnoscente non se solam amori succubuisse sed sortis eiusdem socias multas habere (quae brevis digressio admodum Alexandrina est sed faceta) Medea properat ad ignem, quem Argonautae certamine Iasonis egregie perfecto incenderant. Deinde Apollonius tam vere quam suaviter descripsit Medeam magna voce vocantem Phrontin fratrem minimum natu, Argonautas obscura nocte celeriter ad eam remigantes, Iasonem retinaculis navis ripae nondum iniectis maximo nisu in terram desilientem 66—82. Medea Iasonis opem implorans precatur ut secum auferat neque orbitate cognatorum infamem ipsam reddat.

ἴσκεν ἀκηχεμένη· μέγα δὲ Φρένες Αἰσονίδαο
γήθεον· αἶψα δέ μιν περι γούνασι πεπτηυῖαν
ἧκ᾽ ἀναειρόμενος προσπτύξατο, θάρσυνέν τε (92—94).

Qui versus (et 79) maximi momenti sunt. Nam quamquam de amore Iasonis in Medeam non multa audivimus, verbis (*μέγα δὲ Φρένες Αἰσονίδαο γήθεον*) luce clarius fit, cum rerum status ipse coegerit Medeam, non illum, primas partes agere, eum non esse stipitem sensu carentem sed hominem ét temporibus callidissime servientem, ut monui, ét amore virginis amabilis dignissimum.

Iure iurando dato, se eam uxorem ducturum esse manum manui inserit et cum adhortatus Medeam nautas navem celeriter a terra depellere iussit:

πολὺς δ' ὀρυμαγδὸς ἐπειγομένων ἐλάτῃσιν
ἦεν ἀριστήων· ἡ δ' ἔμπαλιν αἶσσουσα
γαίῃ χεῖρας ἔτεινεν ἀμήχανος. αὐτὰρ Ἰήσων
θάρσυνέν τ' ἐπέεσσι, καὶ ἴσχανεν ἀσχαλόωσαν.

Non inconsiderate nec sensus et pietatis expers Medea patriam et parentes relinquit. Fuga Medeae eo modo exposita, qua Aeetes ipse deceptus Iasonem non bis fallere potuit (draco enim adhuc vincendus erat), impedit quo minus carmen Apollonianum ingrata iteratione laboret. Medea et Iason soli obscuram silvam intrant, in qua taeterrimus draco vellus aureum custodiebat. Dracone a Medea sopito vellus aufert Iason:

ὡς δὲ σεληναίην διχομήνιδα πάρθενος αἴγλην
ὑψόθεν ἐξανέχουσαν ὑπωροφίου θαλάμοιο
λεπταλέῳ ἑανῷ ὑποϊσχεται· ἐν δέ οἱ ἦτορ
χαίρει δερκομένης καλὸν σέλας. ὣς τότ' Ἰήσων
γηθόσυνος μέγα κῶας ἑαῖς ἐναείρατο χερσίν·
καί οἱ ἐπι ξανθῇσι παρηίσιν ἠδὲ μετώπῳ
μαρμάρυγῇ λῃνέων φλογὶ εἴκελον ἶζεν ἔρευθος.

Magnum et splendidum (174—178) vellus humeris portat Iason:

ἤιε δ' ἄλλοτε μὲν λαιῷ ἐπιειμένος ὤμῳ
αὐχένος ἐξ ὑπάτοιο ποδηνεκές, ἄλλοτε δ' αὖτε
εἵλει ἀφασσόμενος· περὶ γὰρ δίεν, ὄφρα ἢ μή τις
ἀνδρῶν ἠὲ θεῶν νοσφίσσεται ἀντιβολήσας.

Postridie laeti Argonautae ancoram solvunt in patriam redituri et mox Aeetes accelerato cursu in litus advolans videt Argonautas profectos esse. Sed satis de his: ut de reditu agam non opus est, quod Valerius carmen suum perficere non potuit.

CONCLUSIO.

Quamquam tot et tanta discrimina sunt inter utrumque poetam, utrique commune est, quod vixerunt aetate, quae successit florenti arti poeticae populi Graeci et Romani, et quod argumentum non minus quam poeseos genus a sua aetate alienum tractaverunt. Quo autem modo uterque munere functus est? Apollonius Rhodius et Valerius Flaccus ab indole gentis suae non aberraverunt sed quae propria sunt Graeciae et Latii, in utriusque poetae Argonauticis quoque inveniuntur, quibus gens omnium artium disciplinarumque ét inventrix ét cultrix populo duro, militari, forensem usum et artem rhetoricam exercenti opponitur. Homerica poesis, splendidissimae artis Hellenicae origo finis quoque litterarum Graecarum fuit. At „tempora mutantur et nos mutamur in illis", ut dixit Horatius, et Graeci quoque mutati. Nulla rhapsodorum familia Apollonii Argonautica declamatione auxit, ut Aeolica et mox Ionica gens composuerunt Iliadem et Odysseam, nulla virtus heroum doctissimos bibliothecae Alexandrinae praefectos inflammavit, non dii et deae iis iam cordi erant, iacebat religio, nec Argonautica mores et totam vitae rationem docent. Multa autem doctrina laborant, argumentum ipsum non est ingens proelium a Graecia contra Asiam gestum, spectat tantum ad

itinera mercaturae studio suscepta a gente, quae historicis temporibus non iam vigebat. Quamquam igitur Apolloniana Argonautica, in multis rebus inferiora sunt Homerica poesi, quod attinet ad argumentum et virilem animum heroici temporis, multo magis iis nocuit infamia Alexandrinae aetatis. Non negandum est doctrina longe arcessita et minuta laborare saepius poesin Alexandrinam, quae poetico vigore plerumque caruerit. Concedo, dummodo ne Apollonius, qui usus est grata veritate, iucunda simplicitate, nullo fere deorum, qui non iam colebantur, interventu, digressionibus rotundis et argumento ipsi bene cohaerentibus, qui excellit quoque naturae amoenitatis et nascentis amoris descriptione, quam novam et recentem materiam summa praestantia perfecit, laude et gloria merita careat! Valerius Flaccus contra argentea aetate Romanarum litterarum vivebat, cuius bona fama ei sine dubio profuit apud multa ingenia critica nostri quoque temporis. Ut Homerus Apollonio exemplum fuit, sic Vergilius Valerio Flacco, sed cum Apollonius ab Homero descriptionem epicam et veram mutuatus sit, Valerius Vergiliana poesi iam artificiosa in peius mutanda inductus est ut argumentum de Argo prima nave, quod a fabula Argonautica alienum est, et deos pristina maiestate carentes pro Apollonii grata simplicitate finxerit. Quia tamen Vergilii assectator fuit, temere et sine causa Flacci gloria crevit. Primis enim Christianis temporibus Vergilius plurimum manu versatus est Latini sermonis discendi causa et quod dii Vergiliani pristino vigore et propria natura carentes rigidis dogmatibus Christianis non iam noxii erant 1). Prae-

1) Cf. J. L. Sirks. Vergilius als Dichter, Wijze en Toovenaar. Progr. Gymn. Groningen 1874—1875.

terea Quinctilianus fortasse immaturam mortem iuvenis, qui litteris magna industria studuisse videtur, dolens et misericordia commotus scripsit XI : 90: „in Valerio Flacco nuper multum amisimus." Ne hoc iudicium, sine argumentis prolatum, maioris momenti habeatur! Operae pretium est inspicere sententias, quas G. Bernhardy (Grundrisz der Römischen Litteratur 1872) et W. S. Teuffel (Geschichte der Römischen Litteratur) protulerunt, quorum opera doctissima, quicunque litteris Latinis operam navant, recte noctesque diesque versat. Dicit Bernhardius: Valerius kennt einen nicht geringen Kreis Alexandrinischer Gelehrsamkeit, seine Stärke liegt aber in rhetorischer Kunst und besonnerer Komposition. Apollonius übertrifft ihn zwar in Anmuth und Natürlichkeit, und noch weiter tritt er hinter Virgil in Geschmack, Klarheit und Harmonie des Vortrags zurück; aber Feuer, Kunst des Plans und Kräftige Charakteristik sind Vorzüge worin er den Griechischen Epiker überbietet. Mit aller Kunst ist ihm dennoch nicht gelungen ein Interesse für sein nur dem Mythographen günstiges Thema zu wecken. Er fesselt durch keinen malerischen Zug, nicht einmal durch gemüthliche Schilderung der Medea; der jugendliche Dichter hat nicht nur in der Wahl seines Stoffes gefehlt sondern ihn auch zu breit angelegt, und übertreibt in wortreicher Darstellung. Teuffelius (edit. 1890): „(die Argonautica des Valerius Flaccus sind) frei nach Apollonius aus Rhodos gearbeitet, mit Kürzung der Alexandrinischen Gelehrsamkeit und weiterer Ausführung wirkungsvoller Szenen, sowie grösserer Sorgfalt in Charakterzeichnung und Seelenmalerei. Die Darstellung zeugt von dichterischer Begabung, ist rhetorisch belebt und Wortreich."

Sed quid dicendum est de his: „Valerius kennt einen nicht

geringen Kreis Alexandrinischer Gelehrsamkeit, seine Stärke aber u. s. w. (Bernhardius)" quod vitium in Valeriano carmine aetatis studio excusare non possumus et praeterea admodum desideramus ea, quae Apollonii carmini admodum profuerunt (cf. de mora in insula Aretia pag. 103)? Num Valerius laudandus est propter „*Kürzung* der Alexandrinischen Gelehrsamkeit (Teuffelius)", cum neque longum catalogum, nec omnia nomina, quae Phineus enumeravit, omiserit (neglecta tamen amoenitate naturae, quam Apollonius tam venuste descripsit), inseruerit ea, quae ad Vulcanum in insula Lemno pertinent, deinde de Bacchico cultu, de Diana Taurica plane supervacua, caedem Cyzicorum ingenti nominum heroicorum serie auctam? Quid censendum de libro quinto tantopere vituperando quod in eo Valerius pessime argumento satisfecit neque totus liber ad argumentum quidquam pertinet. Laus Bernhardii, viri doctissimi, propter „artem rhetoricam" potius poetam incusat, cum ars rhetorica poeticae arti obstet. Admodum mirum est quod Bernhardius dicit Valerium propter „besonnene Komposition" et „Kunst des Plans" Apollonium longe superasse. Quid? Ubi est illa „besonnene Komposition", cum argumentum ipsum de itinere primae navis falsum sit et refutetur fabulae natura, ut demonstravimus? Ubi est „Feuer, Kunst des Plans", cum profectio navis maritimae maria aperturae similis sit fugae turpissimae, cum Valerius induxerit deos non suas causas defendentes (ut Neptunus), tantum scelestis dolis utentes, omni vigore carentes neque quidquam humani (ut dii Homerici) habentes, umbras proprie et Manes priscorum coelicolarum? 1). Sed deinde dicit Bernhardius: „Der jugendliche

1) Mirum, quod Weichert pag. 359, «Apollonius würde, wenn wir

Dichter hat nicht nur in der Wahl seines Stoffes gefehlt, sondern ihn auch zu breit angelegt." His verbis omnem laudem de „besonnene Komposition" et „Kunst des Plans" ipse evertit. Horatiana illa mihi in mentem veniunt „parturiunt montes, nascitur ridiculus mus" et „humano cervicem pictor equinam iungere si velit et varias inducere plumas undique collatis membris, ut turpiter atrum desinat in piscem mulier formosa superne, spectatum admissi risum teneatis amici?" Teuffelius Valerium quoque laudat propter „Weitere Ausführung wirkingsvoller Szenen". Sed procellam, res in insula Lemno gestas, Argonautarum lustrationem post caedem Cyzici regis et civium, moram in Bebrycum regione iam fusius tractavi, neque pluribus verbis opus est. Laude, quam Thilo (proleg. cap. 1, pag. XI) Valerio attribuit „quod materiam et electam apte et exornatam ita disposuisset, ut singulae fabulae in corpus quasi redigerentur partibus suis perfectum et expletum" Apollonium dignum esse passim demonstravi.

Bernhardius laudat Valerium propter „kräftige Charakteristik" quo Apollonium superavit, Teuffelius propter „gröszere Sorgfalt in Charakterzeichnung und Seelenmalerei". Bernhardius, ipse non ita multo post dicit: er fesselt durch keinen malerischen Zug, nicht einmal durch gemüthliche Schilderung der Medea. Lectoribus praeterea in memoriam revocabo Valerium res in insula Lemno gestas describentem omnia, quae

---

nicht irren, in der Darstellung der Personen glücklicher gewesen sein, wenn er in seinem Gedichte die Götter mehr in Bewegung gesetzt und sie in die Thaten und Schicksale der Argonauten öfterer eingemischt hätte, wie es auf eine genügendere Weise von dem Römischen Dichter geschehen ist.

ad mulierum commotiones animi pertineant, omisisse. De Iasone, quem fortiorem et humaniorem in salutatione ad parentem, in mora apud Hypsipylen, post Cyaneas rupes, in Colchide descripsit Apollonius, de matre eius non iam pluribus verbis exponere velim. Quamquam non ferendum est Valerium, pessimum sectatorem Vergilii, cui in libro quarto tam celebrato Apollonius exemplum fuerit, Apollonio ob animi commotiones bene descriptas antepositum esse. Cum nondum de libro septimo Valerii egerim, nonnulla proferam, quibus intelligi possit, quomodo Flaccus Medeae amorem exposuerit. Iam animadverti in libro quinto et sexto Valerium hic atque illic de Medeae amore abrupte mentionem facere ita, ut ét dira futura praedicet ét virgo non sua sponte sed prava Iunonis adhortatione permota amore in Iasonem exarserit. In VII : 100—111 et 114—146 bono exemplo (in Ap. Rhod. 3 : 439—463, 462—470 et nonnullis aliis versibus) bene usus est Valerius. Magnum discrimen est inter Apollonii 3:471 et Valerii Flacci 139: „meque ista precari nesciat", qui versus laudem commotionis bene descriptae iam plane tolleret, nisi alia et graviora proferre possem. Quum Valerius ipse descripserit virginem magis magisque turbatam ne in somniis quidem Iasonis oblivisci, postea dicit, quod „ardor hebet, leviorque pudori mensque obnixa malo", Iunonem Venerem in Olympum adiisse. Res tam gravis est ut cingulum Veneris non iam satisfaciat sed deae ipsius auxilio opus sit, quae „cunctantia pectora dubiumque pudorem" commoveat. Iuno iubet Iridem in templum Dianae Iasonem ducere, et Cytherea petit Colchidem virginem, dum Iuno ipsa Caucasi rupibus insidit eventum nesciens et anxia. Ut boum ductores clamore et flagellis stridentibus boves obstinatos viam ire cogunt, sic

dolis et lenocinio Iris et Venus, Iunone, non Pronuba sed Lena, iubente amantium lenocinium faciunt. Concedo nos apud Apollonium legere Ἔρωτας virginem sollicitare sed de diis vel divinis potestatibus minime cogitandum est: nomen Ἔρωτες significat amorem ipsum. Venus formam Circis induta virgini narrat Iasonem se adhortatum esse ut Medeae opem imploret. Venus enim Iasonis mentionem facit quo puellae persuadeat, ut patriam relinquat.

Quaenam causa erat cur opem veneficae virginis petere videretur Iason fortissimus heros? Nulla. Sed apparet Medeam nihil sua sponte audere, tantum esse instrumentum divini sceleris (cf. 348). Quomodo igitur Bernhardius et Teuffelius indolis descriptionem Valerianam praeponere potuerint Apollonianae, nescio. Omnia, quae in Apollonii carmine admodum lectorem delectant, quod virgo timida et rubicunda medicamen Iasoni dedit eumque utili consilio adhortata est, sed mox se invita sensim paulatimque de sorte Ariadnis eum interrogans omnem animum suum aperuit, Valerius non eodem tenore et perpetuitate usus potius depravavit quam imitatus est. Ipsa enim durat Iasonis arma, deinde amorem aperit, mox draconis vim recordatur. Quae abrupta amoris narratio offendit. Apud Apollonium venerat Medea, ut medicamen daret sed mox futura Iasonis profectione afflicta ausa est amorem confiteri. Igitur tam multa desunt in Valeriana Iasonis et Medeae expositione et quae Valerius adiunxit argumento, tantopere officiunt, ut non amplius de ea re acturus sim. Medea interventu dearum et Valerii sinistris significationibus de futuris sceleribus fit ministra divinae fraudis et venefica.

Apollonii Rhodii igitur Argonautica habent multa Homerica,

Alexandrinam doctrinam quidem sed pleraque Theocrito digna et omnia optima quae illa aetas protulit. Valerii autem Flacci carmen habet eandem Alexandrinam doctrinam, Vergiliana multa detorta, nonnulla e Diodoro sumpta sed omisit multa iucunda, quibus Apollonius excellit.

THESES.

THESES

THESES.

I.

In C. Valerii Flacci Argonauticon libr. VII vers. 159 supplendum est cum Thilone: sum memor, ut [tu sis] mecum partita laborem.

II.

Libr. VII vers. 244 eiusdem operis supplendum est:
Nulla quies animo, nullus sopor, arida [tabes].

III.

Libr. VII vers. 537 legendum est:
Contingat sic (pro vix) deinde mori.

IV.

Legendum est in Lucretii de Rerum Natura libr. V vers. 652:
Aut ubi de longo cursu sol ultima coeli
adpulit (pro impulit).

V.

Legendum est Lucret. de Rerum Natura II : 1162:
Conficimis ferrum vix arvis suppeditatis (pro suppeditati).

VI.

Efficaciter Lucretius in de Rerum Natura libr. I : 830—920 Anaxagorae doctrinae de natura primorum corporum, quae ὁμοιομερῆ dicuntur, impugnat.

VII.

In Cornelii Nepotis vita Alcibiadis supplendum est 8 : 5 „quoniam", inquit, victoriae patriae repugnas, illud moneo, [ne] iuxta hostem castra habeas nautica etc.

VIII.

Non recte Küster ad Horatii II : 20 : 2 dicit „biformis fatis" tantum spectare ad iocosam et severam naturam, quasi duplicem, quam Horatius in odis quoque prae se ferat.

IX.

Non recte Küster „Catonis nobile letum" (od. I : 12 : 35) et „Et cuncta terrarum subacta Praeter atrocem animum Catonis" (Od. II : 1 : 23) putat ironice dictum esse ab Horatio.

X.

In epigr. (Anthologiae epigrammatum Graecorum appendicis novae caput I), 20 vers 4.

3 ὃς τρὶς ἐκήρυξεν τὸν Ὀλυμπίᾳ αὐτὸς ἀγῶνα
4 οὔτ' ὑποσαλπίζων, οὔτ' ἀναδείγματ' ἔχων.

legendum est pro ἀναδειγματ' : ἀναδήματ'.

XI.

In epigr. 33 vers 2.

εὐχωλὴν τελέσας, σοὶ χάριν ἀντ[ιδιδούς],

supplendum est ἀνταποδούς.

XII.

In epigr. 50 vers 1.

'Ωκυδρόμας Λύκος 'Ισθμι' ἄπαξ, δύο δ'ἔνθαδε νίκαις

legendum est pro νίκαις νικῶν.

XIII.

In epigr. 53 vers 2.

τᾶς Λακεδαιμονίας συμμαχίδος γε τεθὲν
δῶρον,

scribendum est pro γε τὸ.

XIV.

In epigr. 61 vers 2.

ἀπτὴς μο[υ]νοπαλᾶν τέ[σ]σαρα σώμαθ' ἑλών

non supplendum est μο[υ]νοπαλᾶν sed legendum μωνοπαλᾶν.

XV.

In epigr. 83 vers 6.

Χέρσ[ις δ'Αρπάγου υἱός, ἀριστεύσας τάδε πάντων
χερσὶ πάλην Λυκίων τῶν τότ' ἐν ἡλικίᾳ.

legendum est pro πάλην πάλῃ.

Komma ponendum post ἡλικίᾳ.

versu 11. Ζηνὶ δ'ἔπει τροπαῖ' ἀπὸ τῶνδ' ἔστησεν ἁπάντων

legendum est pro ἔπει ἔπειτα.

XVI.

Grave vitium est editoris Cougny, quod in epigr. 99 vers 2.

σοὶ τόδ' Ἀλέξανδρος Μακεδὼν κέρας ἄνθετο, παίαν,
κάνθωνος Σκυθικοῦ χρῆμά τι δαιμόνιον,

κάνθωνος vertit: asini.

XVII.

In epigr. 115 vers 1.

Ἡ διαπινομένη Καλλίστιον ἀνδράσι

Cougny non recte vertit διαπινομένη: quae ad bibendum provocat sed significat: quae poculis certat.

XVIII.

In epigr. 121 vers 2.

δέρκεο Βοιωτῶν ἀρχὸν ἀεθλοφόρων·

non legendum est ἀεθλοφόρων sed ἀεθλοφόρον.

XIX.

In epigr. 164 vers 1.

φθέγξαο, Λατοίδα· σὸν γὰρ μέρος ὧδε κάθηται
Μέμνων, ἀκτῖσιν βαλλόμενος πυρίναις.

signum· ponendum est inter μέρος et ὧδε.

XX.

In epigr. 169 γ vers 6.

οὐ γὰρ ἐν εὐτυχίῃ κλήρου στέφος, ἀλλ' ἐφεδρείης
6. χωρὶς, ἀπ' Ἀλφειοῦ καὶ Διὸς ἠσπασάμην.

legendum est pro ἠσπασάμην: ἐσπασάμην.

XXI.

In epigr. 171 vers 4.

ἔργμασιν εὐτάκτοισι μεμαλότες ἄκρον ἔφηβοι
καὶ φιλίαι Χαρίτων τ' ἄμμιγ' ὁμοφροσύναι

non recte nominativus pro dativo legitur.

XXII.

In epigr. 175 vers 5 supplendum est

ἐπεὶ μήτηρ ἡ σὴ, χυθεῖσα σὸν δέμας ἀ[κτῖσι σ]τέφει.

XXXIII.

In epigr. 193 vers 3 supplendum est

ἀρουραίο[ιο πέδοιο].

XXIV.

In epigr. 197 vers. 1 supplendum est

Γήρης Παιών[ων ἀγὸς] Ἀπόλλωνος ἕταιρον.

XV.

Legendum est in epigr. 219 vers 2

Σχῆμα τόδ' Ἑρμείαο καὶ εἰκόνας Ἡλιοδώρου
κεστροφόροι ξυνῷ τῷδ' ἀνέθεντο τύπῳ.

pro τύπῳ τόπῳ.

XXVI.

Corrigendum et supplendum est in epigr. 241 vers 7

ὑ[μῖνδ'], ἄνδρες Ἴωνες, ἀγάλματα καλὸν ὁρᾶσθαι
αἰὲν, ὅτ' ἔστεπται πλησίῳ ἐν τεμένει.

ὑ[μεῖς] pro ὑμῖν.

ἄγαλμα τὸ pro ἀγάλματα.

ὅ τ' pro ὅτ'.

XXVII.

Legendum est in epigr. 242 : 9 non πνέοις χάριν sed νεύοις etc.

XXVIII.

In Homericis editionibus formae, quales ἀντιόωσαν. Il 1 : 31 ubique reiciendae sunt et ponendum: ἀντιάουσαν.

XXIX.

Personae, quibus histriones Graeci et Romani utebantur, vocem non intendebant.

XXX.

In vita et factis Tiberii enarrandis Tacito fides abiudicanda est.

XXXI.

Non recte historia Romana anno 476 concluditur.

XXXII.

Transitus per Alpes error erat ducis Hannibalis.

XXXIII.

Grothe Alexandrum Magnum calumniatur in historia sua Graeca.

XXXIV.

Egregie fallitur Eymael in explicando versu 89 carminis, quod inscribitur Prosopopoea (Hofwijck, pag. 18 Adnotationum): „Ik vermoed, dat niet gezinspeeld wordt op een van Huygens bedillers, die Reinier of Vos heette; 't is mij anders niet duidelijk, waarom hier van Reintje gesproken wordt. Verg. Sneld. bl. 103, dat tot opschrift draagt: Reiniers

uyterste, en het onmiddelijk volgende. Of wordt door Reinier of Vos een criticus in 't algemeen bedoeld?"

Alludit scilicet poeta ad Phaedri Fabulam I : 7.

XXXV.

Definitio comoediae, quam proposuit Baumgart in libro, qui inscribitur „Handbuch der Poetik, Eine Kritische-historische Darstellung der Theorie der Dichtkunst (Stuttgart 1877) pag. 666, admodum est probanda.

XXXVI.

Minus recte Bernays (Grundzüge der Verlorenen Abhandlung des Aristoteles über Wirkung der Tragoedie) vertit vocabulum κάθαρσιν per voc. Entladung.

XXXVII.

Peregrinatio St. Brandani Abbatis, ed. Schröder p. 19 v. 17 legendum est pro: (tunc ceperunt tendere vela) multum: in altum (cf p. 28 v. 22).

